MELETEMATA PLAUTINA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD VENIAM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM

IN ACADEMIA LUDOVICIANA

PROPOSUIT

FRANCISCUS UMPFENBACH DR. PHIL.

GISSENSIS

GISSIS 1860

TYPIS W. KELLERI

40 cts.

1861, Nov. 15,
Gray Fund.

Menda foediora.

P. 6 l. 32 pro *genetivus* lege *genetivum*
„ 12 l. 23 pro *collatio* l. *collatis*
„ 21 l. 3 pro *quam* l. *quem*
„ 26 l. 10 pro *Mémet et erum* l. *Mémet erum*
„ 30 l. 27 pro *collam* l. *collum*
„ 31 l. 3 pro *auferem* l. *auferam*
„ 31 l. 14 pro *extantem* l. *extans*
„ 36 l. 13 pro *quid* l. *qui*
„ 38 l. 18 pro *testimonis* l. *testimonio*
„ 39 Not. 1 l. 3 pro *illé* l. *illi*
„ 42 l. 27 pro *auxiliarii* l. *auxiliaris*
„ 44 l. 28 pro *relinere* l. *retinere*
„ 45 l. 1 pro *Eulychus* l. *Eutychus*
„ 53 l. 25 pro *Quod* l. *Quid*
„ 58 l. 13 pro *rerum* l. *verum*
„ 58 l. 26 pro *homines* l. *hominis*
„ 59 l. 29 pro *dare* l. *dares*
„ 60 Not. l. 2 pro *quem* l. *quam*

Meletemata Plautina.

I De *med* et *ted* accusativis.

Imperio, quod usus in lingua sibi adrogavit, ea tantum cautione ratio obtemperare solet, ut occasione oblata grassantem ejus licentiam certis legibus circumscribere vel, si id minus contingat, caecum arbitrium cogere conetur, ut loco omnino cedat. Sed cum ratio linguae leges non ipsa praescribere, sed scriptas agnoscere debeat, verendum est, ne in contrarium vitium incidens improbet ea, quorum causas pro sua tenuitate non potest perspicere. Itaque mediam quandam inter effrenatam libertatem et anxiam severitatem viam ingressa eandemque rationem, quae de creata lingua judicet, creavisse ipsam reputans, si ad principia revocari singula non licet, tamen constantiam et aequabilitatem deprehendisse satis habebit; quae quibus insunt, ea ad normam aliquam directa esse per se est verisimile. Illa autem aequabilitatis lex sive analogiae potestatem dicere mavis cum et in conjunctione vocum in sententiae formam recte aestimanda et in vocum singularum formis ad radices revocandis diligentissime observanda sit, tum fere sola regnat in flexionis norma constituenda.

Nam cum constructionis causae ad logices praecepta exigendae sint, vocabulorum autem origines in antiquitatis remotissimae tenebras recedentes ex certis principiis, paucis exceptis, deduci omnino nequeant : medium quendam sibi vindicat locum flexio; cui cum id commune sit cum constructione, ut certas vocabulorum relationes certis formis indicet, tamen aeque atque nominum et verborum radices antiquitus in tam fixas formas redacta est, nemo ut in frequentissimo usu curet, cur has potissimum neque alias prae se ferat. Atque quamquam ex linguarum cognatarum comparatione generum numerorum casuum, significationum temporum modorum personarum origines magnam partem in clariore luce collocatae sunt, tamen haud exigua formarum multitudo restat, quae extra legitimos terminos evagantes non nisi similitudinis quadam specie se tuentur. Quodsi illas non rationis olim fallaci analogia deceptae vel leges aliquas nobis jam ignotas secutae formationes, sed monstra librariorum arbitrio creata et tradita demonstrari poterit, constantiae, quae familiam ducit in lingua, sedes immerito erepta jure suo vindicata videbitur.

1. Veluti littera dentalis in exitu nominum latinorum aut ablativi signum erat aut pronominum neutri generis nominativum et accusativum sing. indicabat. Atque in his quidem casibus recte Boppius V. G. I 319 pronominis demonstrativi *ta* radicem adjectam esse conicere videtur; quae postquam vocali decurtata est, tenuis transiit in mediam : quamquam a vetustioribus linguae monumentis ne primitivae quidem formae absunt (Corssen Voc. Ausspr. Beton. des Lat. I 72). Eandem tenuem ablativi quoque propriam esse zendica et sanscritica lingua, quippe quae eosdem gradus mutarum atque graeca et latina exhibere soleant, probant; mittunt enim hunc casum in T, producta antecedenti vocali. Ita cum ejus terminationis explicationi, quam Ritschelius Nov. Mus. Rhen. VIII 157 proposuit, ad praepositionem *de* eam revocaturus, astipulari non possim,

non assequor, quomodo Boppio V. G. I 345, cujus sententiam non improbat Schweizer in Kuhni Ztschr. f. vgl. Spr. wiſs. III 205, neutrum pronominis potestati ablativi indicandae inservire videri potuerit. Sed quamcunque originem terminationis esse statuimus — statui autem possunt pari probabilitatis sive improbabilitatis specie praeter illas nonnullae — : ablativo destinatam eam fuisse et substantivorum et adjectivorum et pronominum vel ex comparatione linguarum cognatarum vel ex sermonis latini usu colligi posse sine controversia diceremus, nisi praeter ablativum pronominum primae et secundae personae *med* et *ted* in accusativo quoque locum habuisse vel titulorum aliquot fides vel grammaticorum auctoritas vel Plautinorum codicum memoria agnosci juberet. Sed priusquam tribus his ducibus nimirum hau spernendis tradimus nos obsequiosos pedisequos, quid ratio vincat videamus.

2. Atque ad D „*paragogicum*“, ut veteribus a Quintiliano (I 7, 12) inde visum est, „*quod scilicet invenerunt veteres, ne, si concurrerent diversarum vocum vocales, vel synaloepham committerent vel hiatum*“ (Vossius de arte gramm. II 14), vix erit hodie qui cum Osanno de pron. IS p. 20 sqq. recurrere velit. Excusantes potius quam defendentes, quas removere nolebant formas, atque vario modo excusantes repperi Max. Schmidtium Comment. de pron. gr. et lat. p. 85 et Ritschelium Mus. Rhen. VIII 157. Ille enim patrocinium a fallente formarum similitudine suscipit; nam postquam elisa consona finali ablativus specie aequatus fuerit accusativo, facile fieri potuisse ut etiam priscam formam pleniorem per errorem in quartum casum transtulerint. Sed cum procedente tempore pleniores voces potius decrescere, quam exiles incremento augeri soleant, tum intermortuam formam in prorsus novam vitam resuscitari parum est credibile. Ritschelius autem doctrinam suam de origine ablativi latini, quippe cujus forma proprie non nisi pars quaedam potestatis ejus casus contineatur,

simillimae et, ut ipse ait, mirae translationis formarum *med* et *ted* in accusativum comparatione fulcit. Sed sane tam mira esset ea translatio, ut verear, ne summi viri mentem non plane assecutus sim. Longe enim alia res est, si ipsa significationis similitudine cognati casus, velut instrumentalis et ablativus vel genetivus et locativus, in unius formae speciem conjunguntur.

3. Itaque cum ex ablativo litteram dentalem irrepsisse negandum sit, restat ut videamus, num in pronomine generis differentia carente eandem originem, a qua in neutris repetere eam Boppium vidimus, habuerit, h. e. num personalis pronominis vis adjecto demonstrativo augeri potuerit, ut *mete* et *tete* abjecta vocali finali tenuem mutaverint media. Nec desunt profecto, quae hanc explicationis viam suadeant. Quemadmodum enim nominativo secundae personae *te* syllaba succrescere poterat, ita ne accusativi quidem utriusque personae notio spernit accuratiorem demonstrationem. Sed in hoc genere non sufficit adumbrasse, quid fieri possit, sed videndum est, quid vel eadem lingua in cognato genere vel in eodem genere cognata lingua egerit. Recenseamus igitur additamenta, quibus Graecorum et Latinorum sermo pronominum primae et secundae personae vim efferre voluit. Aeolenses et Dorienses nominativi formae immutilatae *ἐγών* et *τύν* (*τούν*), Dorienses etiam dativis *ἐμίν* et *τίν* addiderunt *H* vocalem dubiae originis. Contra *ΓΕ* (*ΓΑ*) voculam, quam nulla dialectus in casibus sing. non affixit, confirmativam particulam esse apparet. Demonstrativam vim tertiae quae restat appendici *I*, quam Apollonius de pron. p. 106 sq. a Doriensibus accusativis *μέ* et *τέ* affixam esse tradit, inesse comparatio demonstrativorum *οὑτοσί*, *ὁδί*, sim. verisimile reddit. Alia sunt affixa, quibus Romani vim pronominum personalium augebant. Nam quamquam *ΓΕ* videri possit inesse ablativo vel accusativo *mehe*, quem apud antiquos tragoediarum praecipue scriptores in veteribus libris inveniri Quintil. I

5, 21 tradit, praesertim cum sanscr. *aham* (ego) nec non accusativos *mâm* et *tvâm* (*me* et *te*) ut contractos ex *maham* et *tvaham* continere *ha* particulam, quae graece sit *γέ*, Bopp. V. G. II 102. 104 doceat : tamen eam comparationem dissuadet absentia exemplorum, in quibus latina spirans gutturali mediae graecae respondeat. Ut, etiamsi eis quidem de causis, quas Corssen A. V. B. II 107 affert, de errore Quintiliani cogitare non possim, tamen cum eo ignorare me fatear, unde distracta forma originem habeat, neque Pacuvii Dulor. fr. XXI cum Ribbeckio ex Nonii libris :

Quid quondam et mihi
Pigét paternum nómen, materním pudet
Profári

effingere audeam : *quid quod etiam mehe*, sed malim : *Quid? quoniam ei mihi.* Significationis similitudine ad graecum *ἔγωγε* accederet *equidem*, siquidem compositum id esset ex *ego* et *quidem* : id quod nemo hodie opinabitur neque opinati sunt, qui contra Handium Tursell. II 422 sqq. et apud Plautum atque Terentium (1) et apud Ciceronem non nisi primae personae adjungi *equidem* vindicaverunt, Ritschel. Proleg. Trin. p. 76 sqq. et Halmius ad Cic. p. Sest. p. 279.

Met affixum Bopp. V. G. I 350 dubitat num ablativus primae personae sit per abusum in ceteras translatus, an ad *sma* particulam pertineat abjecta prima consona et correpta vocali, cujus productae ne ex Plauto quidem certum exemplum afferri potest. Illud cum parum probabilitatis habeat, altera explicatio una vera mihi videtur, et quia Umbrorum sermo in pron. demonstr. et relat. *esmei* et *pusmei* et Graecus in plurali pronominum I et II personae

---

(1) Itaque non erat cur Ribbeck. Turpil. 150 tam religiose cum codd. daret : Quando *equidem* amorem intercapedine ipse lenivit dies.

(v. Bopp. II 111) eodem suffixo utuntur, et quia, quemadmodum sanscr. *sma* praesentibus additum in aliud tempus h. e. in praeteritum actionem remittit, ita *met* latinum personam ab altera parte alteri apte opponit.

Nec minus ad demonstrativa pronomina revocanda videtur altera pars encliticorum *pte* et *pse* in formis *mihipte* (Cato ap. Paul. Festi p. 152 M.), *mepte* (Plaut. Menaechm. 1059), *vopte* (Cato ap. Paul. p. 379), *sepse* (Cic. Rep. III 8), ita ut ad *pe* illud, quod in *ipsippe quippe nempe ipse* inesse Corssen A. V. B. II 273 sq. ostendit, vel ejusdem, quod *ipse* continet, vel ejus, quod ad *iste* affixum est, pronominis casus locativus accesserit.

4. Itaque his suffixis collatis id concedere cogimur, explicationem aliquam, quamquam aliam atque viris doctis hucusque placuit, paratam esse *med* et *ted* accusativis et *fieri potuisse*, ut accusativus pronominis personalis jungeretur cum demonstrativo. Revertamur igitur ad testimonia quae *revera id factum esse* convincere judicata sunt. Atque primum in censum vocandi sunt *tituli*. Bis in S. C. de Bacchan. quod legitur *inter sed*, non tam dubitanter, quam Bopp. V. G. I 350, ablativum cum praepositione junctum esse statuimus; nam cum non paucae praepositiones latinae, quae procedente tempore quartum casum flagitabant, asciscebant olim ablativum, tum *inter* ita extat in conceptionis formula augurali apud Varr. L. L. VII 8 M. „*Inter ea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi*"; et vestigium antiquae constructionis exhibet mensura compositorum *interea* et *interutraque*, quod a Lachmanno ad Lucret. II 518 septies poëtae restitutum non video qua de causa Bergkius De Plaut. fab. emend. Halae 1858 p. V expellere et codices secutus *interutrasque* rescribere velit; nam ut *utrasque* genetivus pro locativo ferri posse largiamur potius quam concedamus, cum genetivo praepositionem *inter* jungi potuisse certissime negandum est. Accedit quod in ipso nostro monumento extat exem-

plum praepositionis non accusativo, ut seriori aetate, sed ablativo junctae, l. 24 „*arvorsum ead quam suprad scriptum est*“; ablativum enim potius quam pluralis neutrum accedente eodem D, quod in singulari agnoscendum est, *ead* esse, et geminum regimen *adversus hac* in plebiscito Siliorum apud Fest. p. 246 probat et recte vidit M. Schmidt de pron. gr. et lat. p. 86 (1). Alteri exemplo *sed* formae cum praepositione junctae in titulo extanti vereor ne eadem excusatio adhiberi non possit. Legitur in tabula Bantina, l. 18: „*Quaestorque . ea . nomina . accipito . et . eos . qui . ex . h. l. apud . sed . jourarint*“ . . . Nam *apud* jam in S. C. de Bacc. „*apud aedem Duelonai*“ et in ipsa hac lege, quae aetate ab antiqua illa construendi libertate jam aliena exarata est, l. 20 „*apud quaestorem*“ jungitur cum quarto casu: ita ut eum qui hoc apographum legis Romanae in Bansae urbis usum confecit, quemadmodum neglegenter l. 8 *pariat* pro *pareat* et l. 15 *advorusm* pro *advorsum* scripsit, aeque stilo in *se* forma peccasse dixerim. Neque Novii Plautii, qui praestantissimam cistam Praenestinam eximia caelatura exornavit, manibus injuriam faciemus, si minus latine inscripsisse eum arguemus: „*Novios Plautios med Romai fecid. Dindia Macolnia filea dedit*“. Nam quamquam non ex Osca sua dialecto, ex qua *fecid* formam

---

(1) Quamquam non jure idem *arvorsum ead* compositum appellavit, collatis *postea propterea interea* cet.: poterat aptius comparare *praeterea-quam*, *posteaquam*; sed non magis illae voces in unam coaluerunt, quam id quod, postquam consuetudo sermonis ejecto demonstrativo pronomine praepositionem cum *quam* coarctare voluit in *advorsumquam*, *praeterquam*, *extraquam*, *superquam*, *praequam*, *proquam*, iterum Quintiliano placuit *praeter id quod*. Compositum autem est *posthac* l. 13; contra quod *inter. ibei* l. 20 puncto discreta sunt et locativa vis voci *interibi* inesse praeterea non invenitur (nam Afran. 138 Rib. ut in abrupto loco nihil certi statuere praestabit), nescio an *inter* potius per tmesin ad sequens *arfuisse* referendum sit, ut etiam Lucret. IV 833, V. 287 majore dispendio verbi cum *inter* compositi partes secernit.

Latinis insolitam servasse eum Mommsen U. D. p. 235 et apud Jahn. Die ficor. Cista p. 42 judicat, accusativum *med* mutuatus esse demonstrari potest, tamen hominem Campanum differentia accusativi et ablativi facile fugere poterat.

5. Transimus ad *testimonia grammaticorum*, quorum duplex genus est : alterum quod diserte formas nostras apud Plautum legi docet, alterum quod in aliarum rerum commemoratione illas exhibere videtur. Ut ab hoc incipiamus, bis Festus accusativum *ted* praebere Müllero visus est : p. 205 in carmine Saliari : „*pretet tremonti praetemont. pe*" : restituit Müllerus : „*prae tet tremonti : praetremunt te*" : id quod collato Ter. Scauro de orthogr. p. 2261 : „*Cume ponas Leucesiae praetexere monti*" Bergk (Comment. de carm. Sal. reliq. Marb. 1847/48) probavit. Sed nihil cogit ut cum Müllero ad Fest. p. 411 *ted* pro accusativo habeamus, cum *prae* praepositio aequo jure regimen solitum servare quam *ted* a dissecato verbo *praetremonti* pendere dici possit. Neque magis *suad ted*, quod Messala Fest. p. 351 ait esse *sic te* accusativum agnosci jubet. Restat tertium exemplum, quod in Varronis satura Menippea *Σκιομαχία* Gell. XIII 22 (23) Gronovius et Mommsen U. D. p. 136 legunt : „*Ted Anna Perenna*"; sed quis quaeso ad Varronis tempus usum antiquae, si dis placet, formae propagare ausit?, Senariis descripsit Hertzius locum :

Te Anna [ác]·Peranna, Pánda te, Lató, Pales,
Neriénes [et] Minérva, Fortuna ác Ceres :

at non recte distraxit in duas personas Annam Perennam (nam de *ac* trajecto certe non cogitabat), neque quid in numero dearum latinarum Lato sibi velit perspicitur : quam eleganti emendatione removit l. c. Mommsen scribendo :

Ted A'nna Perenna, Pánda, Cela, té Pales.

Hac igitur ascita vide ne dactylici sint numeri, hoc fere exemplo :

Te Anna Peranna,
Panda[que], Cela, Pales, Nerienes [atque] Minerva,
Fortuna ac Ceres.

Plauto autem duo tantum grammatici, Charisius p. 112 K. et Diomedes p. 441 accusativum *ted* dant, eique in eodem primo versu Curculionis : ut quamquam non per eandem opportunitatem citant versum, tamen ex uno fonte citatum depromsisse videantur. Charisii verba sunt : „*Haud similiter D littera terminar*[*i apud antiquos*] *coepit*, *quibus mos erat D litter*[*am omnibus*] *paene vocibus vocali littera finitis adjungere*, *ut* [*Quo ted*] *hoc noctis dicam proficisci foras. sed et per T scribi sonus vocis admittit.*“ Diomedes in capite de metaplasmis haec habet : „*De paragoge. Paragoge est*, *cum ad ultimam simplicis dictionis clausulam aut littera adjungitur aut syllaba*; *littera ut apud Plautum :* [*quod et hoc tis pro te* (*sic A. B. M.*), *quod est hostis pro hostis ς*] *quo ted hoc noctis*“ (Keil.). Nolumus argutari in eo, quod in schemate declinationis pronominum, ubi Charis. p. 161 *tis* quidem (quod Plauti recensio Ritscheliana jam quater praebet, Trin. 343. Mil. 1033. Bacch. 1200. Pseud. 6) commemorat, *mis* autem, quod non magis, quam in ullo alio scriptore, in Plauto legitur (1), non affert (cum Diomed. p. 329 neutrius genetivi formae, solius *mis* mentionem faciant Exc. ex Char. A. gr. p. 557 K. Quintil. VIII 3, 25. Priscian I p. 578. H. Donat. p. 1753, utriusque Servius in Donat. p. 1786) — nolumus igitur premere, quod in declinationis schemate accusativi *ted* et *med* desiderantur : nam idem cadit in ablativos cognomines, quandoquidem D non ad flexionem pertinere, sed assumi per abusum puta-

(1) Nam Trin. 822 Ritschel. e codd. *mei* dedit; Capt. III 5, 107 *mis miseret* ex dittographia ortum videtur, cum B *mei* habeat; neque Pseud. 308 : „*Nilne temet miseret* (*sic B. C. D*, *te mei F. Z.*) :: *Inanis cedis, dicta non sonant*“ [Ritschel. : „*Nilne mei miseret te*“] ex Ambrosiani lectione : „*temiseret*“ per versum licet efficere : „*te mis miseret*“.

verunt veteres. Sed id non potest non offendere, quod in alterius grammatici exemplari exciderunt voces duae, quarum altera doctrinam suam firmare voluit, alterius autem libri ita eas praebent, ut paragoge non pronomen personale, sed adverbium relativum *quo* tangat : nam ne quis adjecto *pro te* satis demonstrari obiciat, ubi grammaticus figuram adhibitam voluerit, quam facile post *pro* praepositionis signum alterum, quod *quod* indicando inservit poterat praetervideri, ut ab initio scriptum fuerit : „*pro quo te*". Et revera aliud quid in codice suo Plautino Julium Romanum sive a quo duumviri nostri grammatici versum exscripserunt, legisse, infra si T. Macci locos examinabimus, coniciemus. Sed ut aeque atque Palatini plerique codex ille *ted* praebuerit : jam satis maturo tempore exemplaria corrupta veterum scriptorum vel commemorantur (v. Bernhardy Röm. Lit. A. 45) vel a grammaticis adhibitos esse apparet.

6. *Plautinorum* autem *codicum*, a quibus *med* et *ted* formas tertio loco commendari supra diximus, numero eximendus est praestantissimus Ambrosianus, quantum quidem ex copiis Ritschelii adhuc publici juris factis colligi licet. Nam in editionibus Ritschelii et Fleckeiseni (harum enim quod fere solarum rationem habemus, nemo vitio vertet, nisi qui sordibus et illuvie stabulorum Augiae magis delectatur, quam munditie et nitore perpurgatorum ab Hercule) eis fabularum locis, qui in palimpsesto leguntur, non nisi unum idque incertissimum vestigium dubiae accusativi speciei deprehenditur. Leguntur autem Trin. 311. Stich. 331. 488. 504. Pseud. 349. 370. 589. 983. 1142. Pers. 280 (ubi R : „*jussit me . habere* A, *met* „*ut visum est*"), Rud. 574 (v. Nov. Mus. Rhen. V 134). Quod contra dolendum est, quod quae partes rescripti ablativi formas olim servabant, in fabulis a Ritschelio adhuc editis — habet is *med* et *ted* Mil. 313. 1342. Bacch. 488. 740. Stich. 538. Pseud. 61. 71. 485. 1069. Men. 492. 546. 1022. 1044. Most. 344

— omnes vel desiderantur vel legi non possunt : extitisse autem pleniores nonnullis locis inde conicimus, quod teste Geppertio (Die Ausspr. des Latein. im ältern Drama p. 37) Cas. I 2 revera *sine ted arbitro* exhibetur. Nusquam praeterea D paragogicum ab Ambr. praeberi idem affirmat, sed videndum est num in eo servati sint pauci ei versus, quibus B id tenere in ablativo ex Parei vel testimonio vel, quod periculosius est, ex ejusdem silentio colligimus; sunt illi Amph. 663. Asin. 772. Cas. I 55. Epid. 1 1, 42. Sed Aul. II 2, 55 „*Et ted utar iniquiore*". Pareus de suo videtur dedisse : quam recte, ex eis elucet quae Fleckeisen. in Jahni Annal. LXI p. 23 de mensura terminationis primae personae passivi docuit. Tum Cas. II 5, 3, ubi cum

Era quam ístam operam a *med* ímpetres quod postulas

Pareus scribens in B *me* esse testetur, reliqui Pall. *med* praebere videntur, emendamus :

Era, quam ísta*c* oper*a* a *me* ímpetres quod póstulas.

(oper*a* etiam B habet). Ex Fleckeiseni emendatione accesserunt Amph. 1038.

Quíd opus est *med* ádvocato, quí me utri sim néscio :

sed bene se habet codd. lectio :

Quíd opust *me* advocáto, qui [*quin* B] utri sim ádvocatus néscio.

Cum Parco idem contra codd. dedit Amph. 812 :

O'bsecro ecastór, cúr istuc mí vir, ex *ted* aúdio? :

quemadmodum Epid. l. c. Par. tacens de libris :

De praéda mercatúst :: Quid ego ex *ted* aúdio? :: Quod fábulor.

Utrique loco medela afferri possit etiam reponendo composito *inaudio*, quod vel A oblitteravit Mil. 211, vel, si praeplacet, *indaudio* (v. Fleckeiseni Exerc. Plaut. Gott. 1842 p. 44). Denique Fleckeisen Rud. 783 (nam 528 jam retractavit) scripsit :

Meás quídem *ted* invito ét Venere et summó Jove.

Itaque cum antiquissimus codex, qui quinto vel quarto, ut potius Ritschelio Proleg. p. 8 videtur, saeculo exaratus, aetate fortasse major, certe non minor est duobus grammaticis, qui Plauto dubias accusativi formas vindicare videbantur, spernat eas : aliquid sane fidei rursus eis accedit ex testimonio Veteris Codicis et eorum, qui ex eodem fonte secundario fluxerunt. Locis plus quam quadraginta, quibus in Ritschelii editione, h. e. manuscriptis denuo inspectis, porrectus accusativus concessus est, V. C. non saepius quam septies auctoritas adhiberi poterat (Bacch. 357. 571. 908. Stich. 756. Men. 720. 942. Merc. V 4, 23; spreta est Pseud. 523), ita quidem, ut quae prava vocum distinctio frequens in eo est, D plerumque sequenti vocabulo praefixum sit. His omnibus cum vel conjunctum vel discrepans inter se testimonium ceterarum Ritschelii copiarum accesserit (excepto Stich. l. c.), sunt tres loci, ubi eaedem contra B paragogicas formas commendant, Bacch. 61. Pseud. 1272. Men. 820. Nec non in fabulis a Fleckeiseno solo adhuc recensitis inter triginta tria exempla tertia tantum pars codicum fide nititur, Amph. 434. 435. 899. Capt. 405. Curc. 1. 595. Asin. 20. 632. 163. 299. 536 : siquidem credere licet Pareo, quod in hoc genere quam periculosum sit, elucet v. c. ex collatio ipsius et Ritschelii adnotationibus ad Men. 1072, ubi Par : „*ted esse, Sic. Mss., non esse te*". R : „*te esse BCD*"; neque semper Pareum, ubi tacens de libris suis *med* et *ted* reposuit, eorum manum repraesentare, apparet ex ejusd. 1071, ubi *med* de suo dedisse Ritschelii adnotatione arguitur. Pareus denique ex B recepisse se accusativos *med* et *ted* testatur Epid. III 2, 42. 3, 9. Cas. II 3, 17. Truc. IV 4, 6; tacitus recepit Epid. III 4, 21. V 1, 23. Poen. IV 2, 62. Ex his autem locis aliquot mox ostendetur detrahendos esse, quippe in quibus elisione non admissa non staret versus. Ceteros autem omnes erroribus imperitorum librariorum deturpatas esse qui mihi credant, non posco

credulos : nam constantia quadam errasse eos non difficile est demonstratu. Primum enim D litterae similitudo scribentes inducere poterat, ut pro A vel O sequenti primo aspectu decepti illam exararent. Deinde ut *fraudandi* et *defraudandi* verba commisceri solent in libris (v. Ritschel. Parergon I 540), ita simplex *amo* hic illic *deamo* composito locum eripuit, initialem ad antecedens pronomen remittens. Denique nescio an imperitiae monachorum tribuendum sit, quod verbo substantivo saepe *de* contra rationem praefigebant, scriptione interdum pronuntiationem sequente (cf. Vel. Long. p. 2227 emend. a Lachmanno ad Lucr. p. 20). Unde error paulo latius serpere facile poterat. Neque ab aliorum vocabulorum exitu exclusum est erroneum additamentum : nisi quis cum Bothio ad Amph. 149 talia concoquere velit, qualia sunt *potavid edi* Bacch. 1080, vel magis rationi convenientia *longed institi* (Cist. II 3, 39), *poned equidem* (Curc. 588 ?), *aetated iis* (Merc. V 4, 23) et quae ad haec exempla alia incredibilia novavit; vel quod nostris formis gemellum ex Plauto exulare jussit Ritschel. Prol. p. 91 *sed* (Mil. 1272). Quamquam verear, ne etiam Ritschelius clementior esse velit in D paragogicum, nisi ea, quae jecit Mus. Rhen. IX 19 in alteram quoque partem intellegi possint. Quod autem Lachmannus ad Lucret. p. 386 Trin. 386 libros secutus scribit :

A'd caput, amnis *quô'd* ex caelo exóritur sub solió Jovis :

in eo vel vis quae ablativo inesse debet loci *ubi* dubitationem inicit, quippe quae uno, quod sciam, eoque suspecto Plauti loco, Merc. 889 et duobus Ciceronianis, de div. II 66, 135 et ad Att. VIII 10, qui alius generis sunt, nitatur.

7. Talibus igitur testibus adhuc creditum est latinos esse accusativos *med* et *ted* : duobus titulis, quorum alter ne aliis quidem mendis levioribus caret et formam praebet, quam vel a Plauto arcere voluerunt, alter inscriptus est ab homine non latino; duobus grammaticis, quorum alterius in codice desideratur vox, de qua judicavit, alterius

libri praebent eam, sed non ita affectam, ut expectes; codicibus et sex minimum saeculorum intervallo distantibus ab antiquissimo, qui non habet suspectas formas, eisque non cum ratione, ut videtur, sed casu, neglegentia, inscitia exhibentibus. Itaque tantum abest, ut locis adjumento illorum refictis integritatem restitutam judicemus, ut contra remedium ipsum antidoton adhibendum censeamus. Et sunt aliquot loci, in quibus *αἱ δεύτεραι φροντίδες* Ritschelium et Fleckeisenum ipsos moverunt, ut menda vel omnino non subesse vel alio, quam prius putaverant, loco esse quaerenda profiterentur. Ita cum in editione Ritschelius Mil. 517 scripsisset

Med éxpurgare tíbi videtur áequius

(*Mea* Ba, *me* rell.)

Bacch. 1020

Med óbjurgavit plúrimis verbís malis

(*Me* libri : quos simplices formas habere in sequentibus versibus allatis ex silentio nostro colligatur), Fleckeisenus Capt. 620

Sét primum hoc med éxpurgare tíbi volo, me insániam
Nón tenere

(„*Sed hoc primum me exp.*" Par. tacens de codd.) : jam Ritschelii acumen indagavit (Ind. lect. Bonn. $18^{54}/_{55}$) primarias verborum *purigandi* et *jurigandi* formas h. l. Plauto reddendas esse, ut „*fulcro paragogicae D litterae opus non sit*" (p. VII).

8. Altera autem observatio, qua usi majori etiam multitudini versuum genuinos accusativos restituemus, est Fleckeiseni, qui monosyllabis majorem hiandi licentiam concessit (v. Jahni Annal. LXI p. 49 sqq.), ita ut non modo, si cum brevi insequentis vocis syllaba arsin solutam efficiant, sed ne in thesi quidem debeant coalescere : qua de re quamquam non persuasit Ritschelio (v. Praef. Menaechm. p. X), consentientem habet Corssenum A. V. B. II 191. 197. Induxit igitur iterum D Fleckeisenus Capt. 553

E't eum morbum míhi esse, ut qui *me* ópus sit insputárier.

Mil. 1222 :

Audín quae loquitur? :: Aúdio; quam laétast, quia *te* ádiit.

Rud. 608 :

In jús vocat *me* : íbi ego nescio quómodo . . .

Delendum est etiam Men. 710. 1034 :

Quae rés *te* agitat múlier? Etiamne ímpudens.
Ăput *te* habitabo, ét quando ibis, úna tecum ibó domum.

Neque erat, cur primaria mensura primae personae verbi oblitteraretur Asin. 536 :

Nón voto *ted* amáre, qui danúnt, qua amentur grátia :

cum liceret : „*Nón voto te amáre*". Curc. 593 sqq. nescio an nimium reciderit Fleck. gratam poetae loquacitatem, cum pro eo quod V. C. exhibet :

Verum mulierem pejorem, quam haec amicast Phaedromi,
Non vidi neque audivi neque pol dici nec fingi potest
Pejor, quam haec est, quae ubi med hunc habere conspicatast anulum —

praeterquam quod alteri versui succurrit „*aut audivi*" scribendo (nam quod Bothius dederat „*neque audii*", ferri non potest, v. Fleck. Exerc. Pl. p. 11. 26.) — tertium versum sic restituerit :

Quae [éxtemplo], ubi *med* húnc habere cónspicatast ánulum;

licebat enim „*Pejor*" ab initio versus retinere, resectis quae sequuntur „*quam haec est*", ut legatur :

Péjor, quae ubi *me* húnc habere cónspicatast anulum,

ut hiatus post *quae* in arsi positam admittatur. Sed intra fines hiatus a Fleck. propagatos nescio an confidentius recipiendum sit Bacch. 101 :

Béne *me* accipis ádvenientem, méa soror :: Quid ita, óbsecro :

in quo ut monosyllabon *me* a brevi syllaba excipi dicam, non movet Lachmanni in Lucret. p. 116 severius judicium jam a G. Hermanno latum vocabula dactylica trochaei loco in versu poni vetantis; cui cum olim Fleck. crediderit (Mus. Rhen. VIII 223), jam Ritschelium (ib. p. 159) potius secutus, qui, aliquid veri illi observatione subesse concedens, in multis tamen exemplis non esse offendendum monuit, primo tantum pedi dactylicam vocem concedit (v. Vahleni Conject. in Varr. Sat. Men. p. 222) : sed Ritschelii ipsius ea non potest esse sententia, qui Pers. 487. 762. 769 *credere, reddere, ponite* in septimo, 753 *civibus* et *hostibus* in primo et tertio pede admisit. Sed ut *accipis* tribrachi mensuram exaequare credam, facit collatio praepositionis *ab* in gemella compositione consonantem finalem supprimentis Most. 308 *áge accumbe* : quod cum Ritschelius non mutaverit, conicere licet etiam Stich. 618 codicum lectionem : *úbi accubes* jam ei probari et Trin. 964 *quód accepisti*, quod quamquam *ŏculto* et *occulto* similis inconstantiae exemplis allatis Prol. Trin. p. 124 ferre noluit, non sperni.

Aul. II 2, 55 autem, quem Par. tacens dedit :

Et ted utar iniquiore et meus *med* ordo inrideat :

ablativi simplicem speciem jam supra revocavimus, sed in eadem accusativi, quippe quae a longa syllaba excipiatur, offendentes transpositione potius medeamur :

Ét te utar iníquiore et *mé meus* ordo inrídeat.

Neque minus falso Pall. Capt. 405 (cui versui qui praecedit nescio an ejusdem sententiae alia species sit) ita exhibent :

Néque *me* umquam déseruisse té neque factis néque fide:

ubi B fallente memoria „*Neque med umquam*“ oblitterata videtur duplex negatio, quae quidem augeat, non tollat vim negandi. Itaque si *numquam* restitueris, e cognatis exemplis, quae Ritschelius Nov. Mus. IV 582 tetigit, proxime accedent Epid. IV 1, 6 : „*neque ea nunc ubi sit*

nescio" et Curc. 579 : „*út ego tua magnífica verba néque istas tuas magnás minas Nón pluris facio*".

9. Praeterea non inique excusationem hiantibus *me* et *te* formis expetere videor a loco, quem in diaeresi septenariorum trochaicorum habent. Quos cum Ritschelius Proleg p. 193 asynarteticorum speciem perraro in frequentissimo Plauti usu praebere, praesertim ubi eos, in quibus personae mutatio vel orationis institio accedit, dempseris, exemplis e Trin. et Bacch. allatis ostenderit, eadem in ceteris fabulis adhuc emendatis paucitas neglectae synaloephes cernitur, excepta sola Menaechmis, quae prae ceteris eam sibi vindicat licentiam. Possit aliquis in multitudine vocularum, quae a sententiae concinnitate minime flagitatae sedem in caesura cepisse reperiuntur, velut *ego, jam,* offendens non tam a verboso poëta, quam a correctore anxio — satis antiquo illo quidem et codicum nostrorum aetatem superante — hiatum nonnumquam vitatum esse suspicari et latiorem ei concedere velle campum : sed vel sic, ut nunc res est, contra severitatem nobis non videmur peccare, si codicibus plerumque fidem habentes clementer ferimus tales versus, quales sunt Mil. 790

Séd quid ea usus ést? : : Ut ad *te* eám jam deducás domum.

1370 :

Dícant servorúm praeter *me* ésse fidelem néminem.

Pseud. 983 Fleck. recte retinuit :

Hánc epistulam áccipe a *me* : hánc me tibi jussít dare : accentus emendabat R. : *tibi med hanc;* sed eam cautionem, ut non nisi ipsi Ballioni argentum crederet, ab hero sibi commendatam esse Harpax ipse v. 595 sqq. non indicavit : contra eodem demonstrativo pronomine a capite utriusque coli posito apte ratio coordinatarum sententiarum, quarum alteram subordinatam expectes, significatur; dicit enim : Ut (vel quam) me jussit dare, ita (hanc) accipe. Cf. Men. 940 :

Égomet haec te vídi facere, égomet haece te árguo. Asin. 675 illúm te orarest mélius : Ille hánc mihi servandám dedit. Poen I 2, 127 : Eŏ conveniunt mércatores : íbi ego me ostendí volo. Similia parataxeos exempla sunt Rud. 106. Merc. 631. — Prorsus gemellus esset locus Poen. III 1, 48 sq. :

Hórunc hic nunc caúsa haec agitur spéctatorum fábula,
Hósce satiust té docere ut, quándo agas, quid agás sciant :

nisi prior versus ex Pseud. 720 interpolatus esset.
Amph. 384 V. C. ita exhibet :

A'mphitruonis sócium ne *me* ésse volui dícere :

ne me contra sermonis usum esse docens Fleck. Philol. II 94 quod proposuerat :

nám *med* Amphitruónis esse sócium volui dícere,

ipse in recensione, et quod in recensione dederat, iterum Epist. crit. p. XVII retractavit, ut hic versus jam extra quaestionem sit. Asin. 163 potius cum rell. Pall.

Sólus solitúdine ego *te* átque ab egestate ábstuli

(quamquam non accedente excusatione theseos monosyllabae ante brevem vocalem hiantis) tulerim, quam cum V. C. et Fleck. D ex sequenti A ortum pronomini affixerim. Men. 431 cum R.

Eămus intro : : Jám sequar *te* : húnc volo etiam cónloqui

quamvis dubitanter ferat et praef. p. XIII sat magnum numerum versuum hiatum in ipsa perpetuitate orationis non spernentium enumeret, ejusdem v. 942 e mira codd. memoria (te deesse B, teb deesse C, tebde ẽe D, te esse F cum Z) ita dare non debebat :

Ét ob eam rem in cárcerem *ted* ésse conpactúm scio.

Amph. 706 fortasse lapsu calami R. Ind. lect. 18⁵⁴/₅₅ p. VII sic dedit :

at pol quin cérta rest
Hánc objurigáre, quae *med* hódie advenientém domum;

nam ipse addit : „vel etiam simplicius : cérta res,

Hánc objurigárest, quae *me* e. q. s.

Trin. autem v. 311, quem quidem a Bergkio Diurn. Antiq. 1848 p. 1037 jure ut interpolatum sequenti jam a Ritschelio Parerg. I 524 damnato addi judico cum Fleck., pravam accentuum collocationem correxit R. *te íta* transponens in *íta te* :

Nímio satiust, út opust, ita *ted* ésse, quam ut animó lubet :

sed lenissimis mutationibus adhibitis non uno modo ingrata paragogica littera vitari poterat, ita ut simul hiatus adversariis satisfieret, velut *ut opus est, íta te.*
Rud. 1152

Júa bonum oras : : Édepol hau *te* órat, nam tu injúriu's

nullus liber Fleckeiseni *ted* commendat.

Sed Menaechm. 147 non caesura vicaria post quintam arsin, cujus ut cum variatione numeri conjunctae ratio longe alia est quam legitimae, sed personae mutatio defendit hiatum :

Díc hominem lepidissímum esse *mé* : : Ubi essurí sumus?

quem sane non erat cur R. minus clementer ferre vellet (praef. p. XI), quam elumbem v. 299 :

Set úbi novisti *mé*? : : Ubi ego te nóverim?

Sine ullo elegantiae detrimento *med,* quod Pall. sex contra V. C. Asin. 633 praebent, lenissima transpositione removit Fleck. in jambico septenario :

Argénti vigintí minae — ad mórtem *me* adpulérunt.

Eodem denique hiatu in alia voce admisso Mil. v. 1273 a *ted* forma illata a Bothio liberabimus; R. scripsit :

Postquám *ted* aspexít : : Viri quoque ármati idem istuc fáciunt.

Nobis licebit alteram, quam ut duriorem proposuit mensuram, amplecti :

Postquám *te* aspexit : : Viri quoque — armáti idem istuc fáciunt.

10. Ante nomen proprium vocalem non debere hauriri exponens G. Hermannus Elem. doctr. metr. p. 88 Capt. 337 cum Pareo scripsit :

Fác is homo ut redimátur :: Faciam, séd te id oro,
Hégio :

cum Fleck., fortasse vitiosum pronominis *id* usum vitaturus *ted oro* [*hoc*], *Hegio* mutaverit : non male pronomen demonstrativum addidit, sed ut mutua prece ad Hegionem se convertere Tyndarum magis elucescat, etiam personale adicimus, quod propter ductuum similitudinem facile ante nomen proprium poterat excidere : *sed te hoc oro ego, Hegio :* nisi forte praestat : *tecum oro.* Pariter nominis proprii naturam excusare hauscio an liceat Amph. 511.

Égo faxim, *te* A'mphitruonem ésse malis quám Jovem,

ubi Fleck. curans, ut mutae cum liquidae positionem efficientis contra usum Plautinum exemplum removeretur — nam de voce *âtriensis* aliter judicandum est — et simul hiatum abstergens scripsit :

Égo faxim *ted* A'mphitruonem mális esse quám Jovem.

Sed si nomini proprio ea venia mensuram variandi non conceditur (concessit, ut videtur, Madvig. Opusc. p. 79, ut Hertzius Gell. VI 7, 11 Livio in Saturnio : „*Ibidémque vír súmmus ádprimís Patróclus*“, ubi „*Patricoles*“ restituit Fleckeisen. Z. Krit. der altlat. Dichterfr. bei Gell. p. 26), non tam unico *ut* conjunctionis conjunctivo post *faxo* additae exemplo, Asin. 902 (quod sustulit Fleck.) alterum addam scribendo *te ut Amphitruonem,* quam vocem non absonam inseram :

Égo faxim *te* Amphítruonem esse *múlto* malis quám Jovem.

11. Remedio non opus esset Rud. 183, si de veritate observationis Lachmanni ad Lucr. III 941, qui jambicae vocis exitum sequenti brevi vocali non hauriri Plauto placuisse docet, conveniret inter viros doctos. Sed cum Ritschelius vel diserte (ut ad Merc. 749) vel ascitis potius

lenissimis emendationibus dissentire se significaverit, nolo equidem a Lachmanni praecepto patrocinium suscipere nostro versui, quam cum codices ita praebeant

Si apúd *me* esuru's, míhi *dari* operám volo,

neque cum Bothio transponens *operam dari volo* malos accentus inveham, neque cum Fleck. subrepere sinam suspectam formam *med* :

Si aput *méd* essuru's, míhi *di*cari operám volo :

sed probans quod restituit *dicari* (nam quod Donat. ad Ter. Phorm. I 2, 12 praecipit : *dicatur perpetuo*, *datur ad tempus* : id et eo ipso loco et Plaut. Bacch. v. 994 refutatur), scribo

Si aput *me és* essurus, míhi dicari operám volo.

Contra quod inter exempla longae vocalis ante brevem syllabam hiantis Lachmannus ad Lucr. p. 388 affert Capt. 534

Núnc enim vero ego óccidi : eunt ád *ted* hostes, Ty'ndare :

et adversus codd. extensum pronomen receptum est et praeter necessitatem *eunt* verbum in unam syllabam coalescit. Sed rectius jambicum octonarium fecit Fleck :

Enimvéro nunc ego óccidi : eúnt ad *te* hostes, Ty'ndare.

12. Restant versus, in quibus cum concursus vocalium excusari non possit, vel alia plenior accusativi forma restituenda est vel alio loco corruptelae sedes quaerenda. Atque *mehe* quidem, quod in tragicorum libris legisse se pro *me* tradit Quintilianus, etsi non recte Corssen A. V. B. II 162 eundem dativum distractum esse suspicatus est, cujus *me* contractam formam habeat p. Fest. 161, cum potius accusativum vel ablativum in constructione adhiberi posse, ubi usus dativum requireret, indicare vellet grammaticus duobus quae affert exemplis, — non modo quia mirae formae rationem reddere non possum, sed quod nullum ejus vestigium apparet (nam cui id videatur Men. 1044 B. C. lectio servare : *a me habeat* pro eo quod sententia flagitat neque ars in eo versus loco spernit : *a me abeat?*) auxilio vocare non audeo.

13. Neque in Plautum intulerim duplicatas formas *meme* et *tete* ex Prisc. XII 24 H., qui, postquam nominativum *tu* non *met* affixo, sed brevi syllaba *te* augeri docuit, „*tete, inquit, utraque producta accusativus esse geminatus ostenditur vel ablativus, quod et in prima et in tertia fieri solet persona, ut meme, sese; composita tamen ostenduntur accentu paenultimo acuto.*" His proximis cavere voluisse videtur (sed non cavit), ne quis de reduplicatione grammatica dubitans rhetoricam potius esse, vel, ut aliis verbis dicam, non tam duarum vocum compositionem quam repetitionem cerni obiceret. Id quod de *meme* exemplis allatis a Forcellino certe affirmaverim, quae utraque sunt in oratione hominum vehementer commotorum : Verg. Aen. IX 427 „*Me, me, adsum qui feci, in me convortite ferrum*" (1) et Sil. IX 650 „*Sed conprimit ensem Nescio quis deus et me me ad graviora reservat*" : quamquam is poëta, quo erat caeco studio Vergilium imitandi, fortasse geminata forma uti voluit. Quem versum addit Laur. Valla Eleg. II 2 : Verg. Aen. XII 261 : „*Me, me duce ferrum Corripite, o Rutuli*", in eum idem cadere apparet. Haec ex poëtis mihi innotuerunt. Nam Catull. 21, 11 : „*Nunc ipsum id doleo, quod essurire, Meme puer et sitire discat*", in propatulo est mendum codd. Lachmanni et ex Par. 2 et Memm. memoria *Nemaeus, Nemeus* scribendum *Vae meus*, ut 8, 15 pro „*Scelesta, ne te*" recepit Hauptius : *vae te*. In Ennii Alcmaeon. fr. ap. Cic. Ac. II 28, 59 (quem v. liberius immutavit Ribbeckius)

Incéde, incede : adsúnt, adsunt, me me éxpetunt :

verborum repetitorum exempla documento sunt bis poni

---

(1) De h. l. rectius judicat Priscian. XVII 3 (II 109 H.) : „*Bis idem elementum accipitur ut relliquias reddo, sed etiam syllaba, Leleges tutuli peperi, similiter et dictio, ut Me, me, adsum qui feci*"; nam non agnovisse reduplicationem in hoc exemplo grammaticum apparet ex eo quod addidit : *Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus.*

pronomen ad timoris significationem efferendam. Itaque nisi aliis certioribus dedocebor — nam in scriptoribus pronus erat error librario repetendi brevem voculam, ut Cic. ad fam. XIII 1, 2 fortasse et in epist. Vatinii ib. V 9, 2 Mediceus *meme* praebet, — primae personae ut geminatum accusativum et ablativum statuerit, movisse Priscianum dixerim et frequentissimarum tertiae personae et vix removendarum secundae aliquot formarum comparationem. Recte enim de *tete* spondiaco praecepisse Priscianum, Lachmannus ad Lucret. p. 261 versu probavit, qui in carmine septem sapientum sententias exponente legitur Hygin. fab. 221 : „*Nosce, inquit, tete, Chilon Lacedaemone natus.*“ Neque minus certum formae testimonium videtur Verg. Aen. XII 89 : *Verte omnes tete in facies et contrahe quicquid, Sive animis sive arte vales.* Quamquam in utroque versu cogitare aliquis possit de *tu* imperativo addito. Sed non variant codd. Catull. 101, 5 : „*Quandoquidem Fortuna mihi tete abstulit ipsum.*“ Ubi autem convincente metri accessione caremus, *tete* scribentis lapsui deberi potest, ut Tusc. II 26, 63 Reip. I 38, 59. Pariter ad diversum de utraque forma judicium ducit Plautinorum codicum memoria. Nam cum *meme* non nisi per errorem, cujus causae facile appareant, illapsum deprehendatur (velut Trin. 203 „*atque ego me me adeo cum illis una ibidem traho*“ EF, *egomet*, ut videtur, ABC — frequentissimae corruptelae *met* affixi exemplum praebet) : saepius inest *tete*, ut Pseud. 702 *Quóia vox sonát? : : Jo Tete turanne, te rogo, qui imperitas Pseudulo* (A). *Jote, tete tiranne* BCD) : ubi ex A memoria refingere alicui placuerit : „*Jo, Jó, tete, turánne, te vocó*“, (ut monosyllabum et bisyllabum *Jo* se contingant, ut in Catulliano „*Jo Hymen, Hymenaee io*“, siquidem de elisione recte praecepit Lachmannus ad Lucret. p. 103). Nam ad Bothii emendationem Cas. IV 3, 3 provocare non audeo. Curc. 37 *Dum téte abstineas núpta, vidua,*

virgine : ubi Par. „*Mss. ingeminant te te.*" Epid. I 1, 76 tacitus idem habet

Épidice, nisi quíd tibi in *tete* aúxilist, absúmtus es

(de hiatu solliciti non erimus *te* legentes), et v. 88 specie ceterum vitiosa :

Quia tu *tete* deseris. Quid faciam? Men tu rogas?

ex B et C dedisse se testatur (ubi facile scribas : *Quíanam tute déseris te?* cl. Truc. I 2, 34). Ad Poen. III 6, 1, quem B ita praebet : *Agetur procredere ut testes videant teire istinc foras* Pareus annotat : C „*te isthinc foras*", alii *tete.* Refinge versum :

A'ge tu progredere, út *te* testes vídeant eire istínc foras.

Neque Cas. I 4 „*Quia certúmst mihi Quasi úmbra, quoquo ibis tu, te persequi*" desideratam syllabam duplicato pronomine lucremur, sed scribamus : „*Quasi úmbra, quoquo ibís tute, ibi te pérsequi.*" Spreverunt Ritschelius et Fleckeisenus geminatas formas Bentleio non improbatas, qui ut Adelph. I 1, 8 cum Bemb. et aliis dedit :

„*Aut téte amari aut pótare atque animo óbsequi*",

et cum Bemb. Phorm. III 1, 3 :

„*A'lios tuam rem crédidisti mágis quam tete animádversuros?*",

ita in fragmento Plauti, quod apud R. Bacch. 32 est, ad Ter. Hec. III 1, 33 *te* duplicato scribere maluit : „*Fortásse tete amáre suspicárier*", quam, id quod R. fecit *ted* admittere. (Possimus autem omni mutatione supersedere, si finem et exordium jambici septenarii fragmento nostro effici statuimus : „*Fortásse Te amáre suspicárier*"). Nec non Poen. I 2, 185 a Pareo contra codd. geminato *te* in tetrametri jambici a trochaicis inclusi speciem sine causa mutatum ad Adelph. IV 2, 52 affert et Cas. I 50 ad Eun. III 5, 12 hac specie : *Sine amábo tete amári, meus festús dies* (v. p. 38). Ceterum paragogicas formas et obiter citando (ut ad Eun. II 3, 65) et diserte profitendo (ad Eun. V 2, 5) agnovit. — Neque vero nobis sufficiunt loci, quos

attulimus, ut inde profecti aliis exemplis Plautum ditandum censeamus. Quod autem Fleck. Curc. l. c. porrectam pronominis formam recepit, non magis violenta medela versui succurrere licet praepositione addita :

Dum *te* ábstineas *a* núpta, *a* vidua, *a* vírgine.

Nam ab hoc quoque composito pendentibus nominibus Plautus praepositiones modo addidit, modo non addidit (1).

14. De *mepte* et *tepte*, ad quas formas jam transimus, nescio an idem dicendum sit, quod R. Proleg. p. 143 de *noenum* et *sirempse* judicat, si solitaria quaedam extent testimoniorum fidem habentia, subsistendum in his neque eis abutendum esse licentius. Nam si ex scriptore Plauto aequali, M. Catone, *vopte* et *mihipte* Fest. enotata habet, id eo magis propter singularem earum formarum naturam factum esse mihi persuadeo, quod Priscian. XII 24. 30, nimis ille quidem arctis finibus usum astringens, ablativo tantum possessivorum porrectionem, quae per *pte* fit, permittit. Itaque Menaechm. 1058 quidem nemo dubitabit ex B et reliquorum vestigiis scribere

Quin certíssimumst
Mépte potius fíeri servom, quám te umquam emittám manu.

Sed quod Vossio de anal. IV 9 narrante Meursius Asin. III 3 (versum non indicat; sunt autem complures, quos tangere posset) idem restituit, in eo assentientem editorum nullum invenit. Et Men. 942 jam supra (p. 18) propter ejus fabulae propriam licentiam *te* in fine prioris hemistichii admisimus neque in CD memoria plus agnoscimus

---

(1) Obiter monemus, cum infinitivo *abstinere* junctum non eo tantum exemplo, qnod eandem constructionem emendatione restituens Mil. 186 affert R., Curc. 177, firmari, sed etiam Mil. 1309, ut lepos loci percipiatur, agnoscendum esse : „*Maris causa hercle istóc ego oculo utór minus, Nam si ábstinuissem a máre, eo tanquam hoc úterer.*“

quam B corruptelae auctionem; qua quidem usus si Kampmannus ex *tebde* effecit *tepte*, non potest ad similes ductuum litterarum permutationes codd. proprias provocare. Nec magis Men. 1026 :

Pér Jovem adjuró patrem
Mepte erum tuum non esse

cum Fleck. codd. lectioni *me* substituemus.

15. Immo est hic locus in numero paucorum, in quibus per versum licet formam per se minime suspectam *memet* admittere : „*Mémet et erum tuum.*" In admittendo enim cautionem suadet dubia alterius vocalis mensura, quae radicitus producta usu posteriorum poëtarum correpta est, apud Plautum autem non nisi eis versus locis reperitur, qui utramque extensionem recipiunt : nam quod Fleck. Jahn. Annal. LXI p. 33 Not. Amph. 102 „*ipsemet in exercitum*" pro cretico habuit propter acutam finalem, fidem habuit Ritschelio Proleg. p. 229 quidem intensionem ultimae syllabae vocis dactylicae vetanti, sed jam, ut Corssen II 462 vidit, ab ejus legis severitate remittenti (cf. Pseud. 359. Merc. 1008. ad Pers. 487). Itaque cum oppositionis vi efferendum sit pronomen Capt. 976, nunc vero elisione obscuretur

Sérva, Juppitér supreme, *mé* et meum gnatúm mihi,

scripserim „*mémet et gnatúm mihi*" : Quamquam ne is quidem, qui immutatam codd. lectionem servat, contra artem facit. Cf. Ter. Heaut. II 3, 110 : „*Et me ét meum amorem et fámam permittó tibi*", Casin. II 4, 20 : *Ibi ego te et suffrágatores tuós ulciscar :: Attamen.* Neque Asin. 352 a sententia respuitur pronominis plenior species : *Dico me esse atriensem. Sic hoc respondit mihi* : sed huic syllabam desideratam alio loco reddere praestabit. Nam cum callidus servus jam de hero suo interrogatum narrat se respondisse :

Díco me novísse extemplo et me éjus servom *praédico* Ésse,

jam cum in atriensem sermo inciderit, extemplo facit se

facetum et magnificum virum atque gloriatur se esse atriensem: „*Praédico me esse átriensem.*" Ejusd. autem 581

Edepól senem Demaénetum lepidúm fuisse nóbis:
Ut ádsimulabat Saúream *me* ésse, quam facéte,
Ut mémoriter me Saúream vocábat atriénsem —

nimium ponderis accederet, si scriberetur „*Sauream memet esse*", et ipsa poëtae consuetudo suadet, ut pronomine *is* ad praecedens nomen leniter monstrari malimus: „*Sauream me is esse.*" Bacch. 61 militis amores opponuntur Pistocleri amicae Bacchidi, quae eum alloquitur

Et ille adveniens tuam me esse amicam suspicabitur

(sic B, al. *med esse* C, similiter D et aliquot Flor.), unde cum utrumque pronomen pronuntiatione intendere liceat, Hermannus „*mé tuam esse*", R. „*tuám med esse*" effecerunt, licebit etiam scribere „*tuam memet esse amicam*" (caesura, siquidem *memet* spondiacum est, non ingrata post arsin dactyli, v. R. Proleg. p. 276 sp.). Stich. 331 autem

Respice
Ad (sic A, om. rell.) *me* et relinque egentem parasitum,
Philumena —

non tantum optimi codicis, sed etiam consuetudinis latinae neglectionis insimularemur, si commendaremus: „*Respice Memet et*"; nam propria oculos retro vertendi vi instructum *respicio* cum praepositione debet conjungi (cf. Trin. 1068. Pseud. 244. Cas. III 5, 10. Poen. IV 2, 35. Truc. II 2, 2. Ter. Andr. II 5, 6); versus autem integritati consulimus praemisso *huc* adverbio, ut Trin. 1068: „*Respice huc ad me, ego sum Charmides.*" Vexavit numeros Bothius Aul. II 4, 27, ubi cum B, Pall. 3—6 habeant

Haec mihi te ut tibi me aequomst credere credo

(*credo* om. Pal. 1. 2.) ineleganter dedit

Haec míhi ted ut tibí med aequomst crédere —

nam quod *tibi* in senario jambum esse passus est, in eo fortasse non erravit —; melius scribemus

Haec míhi te, ut *tibimet* me aéquomst credo crédere.

Recte in Ennii Epich. fr. 1 Vahl. jam Ernesti *memet* eruit :

Nám videbar sómpniare, *mémet* esse mórtuum :

me et ego libri, *med ego* cum Manutio et Lambino Vahlen., non ille offendens in mira collocatione verborum. Quamquam Plaut. Epid. III 3, 27 nunc legitur : Dixít mihi Jamdúdum se alius [tŭum] vidisse hic fílium.

16. Jam pervenimus ad eos versus, qui non in pronóminis forma, sed alio loco labem aliquam contraxisse videntur. Et primum quidem pleniore prominis *hic* forma *hice* nonnunquam revocata versibus recto talo stare licet. Ut R. Men. 940

Égomet haec te vídi facere, égomet *haece te* árguo

praetulit emendationi Guyeti *haec ted* : eodem modo Rud. 1090

U'num te obsecro, út *te hujusce* cómmiserescat múlieris

minus periculosa medicina est quam adhibita a Fleck. : *ted hujus*. Curc. 386 adverbium quoque locativum non decurtatum, quale in titulo Aquilensi J. R. N. 5882 *heicei* et in Pollano *hince* scriptum extat, revocaverim :

Edepól, ne ego *hice me* íntus expleví probe.

(Edepól ne ego hic *nunc* me íntus expleví probe

tacitus emendavit G. Hermannus Philol. III 464. 467).

Quam libertatem cum adverbio *nunc* non pari confidentia concedere ausim — nam quod huius simile olim Rud. 426 commendatum est, *sice*, destitutum est librorum testimonio — Stich. 504

Qua lege *nunc me* essurire oporteat

malo cum Pylade *me nunc* transponendo sanare. Curc. 1 autem

Quo *téd* hoc noctis dícam proficiscí foras

B. C. praebent, *te hac noctis* Pall. 2. 3. 4. Cujus versus mutationes, quas prius tentaveram, ut vel *te de hoc noctis* scriberem — nam quemadmodum dictio *de nocte* accedente adjectivo *multa*, ita etiam pronomine definiri posse mihi

videbatur —, vel *hoce noctis* conicerem : eas sprevi prae ea, quam e corruptela librorum Diomedis p. 441 : *quod et hoc tis, quod est hostis* eruere licet : *Quo te istoc noctis.* Idem illud *iste* in re, quae ad hominem compellatum spectat, restituimus Bacch. 113 :

Quo nunc capessis *te hinc* advorsa via ?

Lege *istinc*; nam ab altera viae parte festinat Pistoclerus et respondentem *Huc* denuo increpat Lydus : „*Quid huc? quis istic habet?*"

17. Aliis versibus jactura syllabae, quam hausta vocali finali pronominis accusativi fecerunt, reconcinnari facile potest nominativo *tu* adjecto. Sic Most. 1175 Callidamates postquam servum mala conscientia anxium et de sua salute desperantem ideoque obstinata insolentia sese efferentem frustra monuit ut quiesceret, convertit orationem ad herum iratum

(Níhil opust profécto ::) Age jam, síne *tu te* exorárier.

Cui loco gemellus est Poen. I 2, 167, ubi servus, qui, nisi Adelphasium hero propitiam faciat, timet ne verberibus caedatur, in illa sola spem salutis habens precatur :

Quamóbrem amabo, méa voluptas, síne *tu te* exorárier.

Stich. 756 posteaquam Stichus amicam, ad quam communes exercent amores homines belli, saltare jussit, Sagarinum non

Númquam edepol *med istoc* vinces, quín ego ibidem prúriam

(*medistoc* B, *me istoc* rell.), sed opponentem se Sticho : „*me istoc tu vinces*" ingessisse opinor. Pseud. 240 (quem v. G. Hermannus de metris p. 121 septenarium trochaicum esse voluit, simul curans, „*ut opicum illud med evitetur, quo parcius etiam, quam vel Reizio visum est, Plautus utitur*"), in jambicorum continuitatem codd. pressius secutus redegit R :

Mane, máne, jam ut tu *med* ésse voles, ita eró :: Nunc tu sapis [démum] :

lenem transpositionem anteponens malo sono versus, qui ex codd. ordine sic prodiret : „*Mane, máne, jam ut volés med esse*“ (sed *me esse* praebent); sed quod adnotat pro „*jam ut tu*“ licuisse etiam „*jam uti*“, ne sic quidem pronomine facile careamus : quo recepto legimus : „*Mane, máne, jam uti tu me ésse voles*“. Neque absonum est pronomen additum Menaechm. 1023, ubi verbis domini quem putat : „*A't tibi di sempér, adulescens, quísquis es, faciánt bene*“ instans servus orat :

Érgo edepol, si récte facias, ére, *tu me* emittás manu.

Idem quod Bothius et Ribbeckius *med* scribendo assequi possis dativo *tibi* inserto in versu, quem ex Caecilii Androgyno sic affert Fest. p. 317.

Sed egŏ stolidus, gratulatum *me oporteat* prius :

Lege „*gratulatum tibi me oportebát prius.*“

18. Porro compendia pronominis *hic* cum adverbiis inde derivatis a librariis praetermissa versibus aliquot reddenda videntur. Ut Pseud. 1026 R. et Fleck. potius quam cum Bothio *med* scribere, voluerunt immittere *hinc* :

Primum ómnium jam hunc cómparem metuó meum,
Ne déserat *me* atque *hinc* ad hostis tránseat :

et Merc. 198, quem Bentl. ad Phorm. IV 4, 8 cum hiatu affert, Lachmannus :

Vérum video *me* [*hic*] ad saxa férri saevis flúctibus :

sic Bacch. 571 B. C. memoriam

Tóllam ego *ted* in cóllam atque intro hinc aúferam ::
Immo ibó, mane

non sperno cum Hermanno scribente *jam te in*, sed latere suspicor *te hoc in collum*. Ibid. 349

I', gladium adfer :: Quíd opust gladio? :: Qui húnc
[nunc] occidam átque me ::

Quin *tu te* occidis potius? nam hunc fames jam occiderit: quam apte vis letalis famis ex adverso ponitur instrumento mortifero modo commemorato, si reponimus : „*Quín tu te hoc occidis potius?*“ Aul. III 6, 46 recte quidem Bothius

factust cum Meursio scripsit, sed hiatu extremum versum liberare poterat inserto *hinc* :

Nunc hóc mihi factust óptumum, ut *te hinc* aúferem,
Aula, ín Fidei fánum : ibi abstrudám probe.

Men. 742 alterum gemellorum fratris uxori tanquam maritum ipsum increpanti haec regerentem faciunt libri :

Quem tu hominem esse arbitrare, nescio :
Ego té simitu nóvi cum Partháone :

in quibus primae personae significationem desiderantes editores *me* accusativum vario modo intulerunt, R. et Fleck. *med* vel ante vel post *hominem*; equidem proposuerim :

Quem túte *hunc hominem* esse árbitrare, néscio,

nota primae personae paraphrasi. Similiter, ut in transcursu moneam, pronomen in libris omnino non extantem adjecit paragoge auctum R. Men. 646 :

Víden *ted* ut sceléstus captat : huíc surruptast, nón tibi.

(*Vident ut* Ba CD, *Viden ut* Bb FZ); sed sequor Lambinum : „*Viden ut te*". Men. 820 :

Tun senex ais habitare *me in* illisce aedibus

(sic libri, nisi quod C *metdin*) *med* dedit R., aliam restitutionem, in qua ea forma opus non est, praeferens in annotatione : sed ut in codd. memoria subsistamus, recte Camerarius fulsit versum inserto *hic* post pronomen personale : monstrat enim praesentes aedes Menaechmus — quo de usu pronominis *ille* Plautino jam constat —, neque tam accuratis terminis demonstrativorum vim distinxit poëta (qui v. c. Capt. 733. 34 eundem hominem ab eodem dictum voluit *hunc* et *istum*; Rud. 810. 11 *illunc* et *istunc*; 1056. 57 *hunc* et *illunc*; Merc. 982 Témperare *istác* aetate te *hís* decebat ártibus), ut non utrumque de eadém re consociatum adhibere potuerit. In cumulatione adverbiorum loci non illa quidem eleganti, sed fortasse eo consilio, ut campum licentiae herili filio liberum relictum esse spectatoribus inculcaret, quaesita, quae est Bacch. 354 sqq. :

Senéx in Ephesum *hinc* íbit aurum arcéssere :
Hic nóstra agetur aétas in malacúm modum,
Siquidem *hic* relinquet néque secum abducít senex
Med ét Mnesilochum, quás ego *hic* turbás dabo —

(*Med et* B, *Medet* CD, *Me det* Ea, *me et* F. Z.) non gravabimur, si quinto accedente legitur „*Me hinc et Mnesilochum*". Item in eodem versu bis habet adverbium locativum; Men. 331 „*Ibo íntro et dícam te híc astare Erótio, Ut te hinc abducat pótius quam hic astés foris*".

19. Denique *is* pronomen, qua erat et formae exiguitate et ad sententiam levi pondere, expulsum nonnumquam vitiosis formis irrependi ansam dedisse videtur. Reducerem igitur relatum ex Plautino usu ad paulo ante commemorata Amph. 997

Haec curáta sint
Fac sís, proínde adeo ut vélle *me ea* intéllegis,

pro eo quod Fleck. scripsit *med intellegis*, nisi inverso ordine libri offerrent *ut me velle*, unde versum sic constituas :

Fac sís, proinde adeo ut*i* me velle intéllegis.

Neque Pseud. 1142, ubi Harpax locorum et personarum ignarus sciscitatur apud ipsum lenonem, úbi ejus aedes sint, is autem quaerendi finem facere jussit, opus est cum Camerario servo interroganti „*Quid jam?*" sic respondentem facere Ballionem :

„*Quia te is ipsus práesens praesentém videt*"
(*te ipsus* — *vides* libri, *ted* — *videt* R),

sed librorum lectione retenta *tute* supplere licet :

Quía *tute* ipsus praésens praesentém vides.

Bacch. 909 autem recte Hermannus ex B manu :

Immo óro, ut facias, Chrysale, et tedópsecro

(*ted obsecro* C, *te obsecro* DF) elicuisse videtur *te id obsecro*, modo pronomen *id* ad antecedentia referatur, non ad ea quae sequuntur : „*Cave parsis in eum dicere*" : hoc enim non potest fieri, nisi a conjunctione sequens sententia incipit, ut Pseud. 442

Id núnc mirare, *si* patrissat fílius

(nisi ibi vel cum Bergkio Ind. lect. Hal. $18^{58}/_{59}$ p. IX „*Ne tu mirare*“ vel „*I nunc, mirare*“ e librorum scriptura „*Id ne tu mirare*“ refingere mavis) vel Pers. 431 :

I'd tibi suscénsui

Quia té negabas crédere argentúm mihi.

20. Hanc ob rem Asin. 18 non potest admitti id fulcrum, sed *ego* tam saepe oblitteratum inseramus :

Ita *égo te* obtestor pér senectutém tuam :

quemadmodum R. Pers. 219

Núnquam ecastor hódie scibis, priusquam *ego* ex te audívero

scribendo vitavit Guyeti „ *ex ted audivero*“.

Idem *ego* ita, ut non sua vi careat, additum sanabit Mil. 927, ubi librarii scribunt vel scribere voluerunt :

ni lúdificata lépide

Ero, cúlpam omnem ín me inpónito :

R. ex Nonio, qui habet „*Ludificata ero hominem pro ludificata lepido ero culpam omnem in me imponit*“ edidit :

ni lúdificata ero hóminem,

Culpam ómnem in *med* inpónito :

equidem altero versu non tacto in altero scribam :

ni lúdificata [ego] hóminem

Ero, cúlpam omnem in me inpónito :

Posscesivum pronomen Truc. IV 4, 6 jam Acidalius, sed non suo loco, suo loco quidem, sed in reliquis nimis a codd. recedens restituit Rostius Opusc. Plaut. p. 207. Habent BC :

Video eccum qui amans tutorem *med* adoptavit bonis :

scribe : „*mé adoptavit suís bonis*“.

21. Jam deduxit nos disputatio in eos locos, quorum corruptelae non ad commune genus revocandae, ita ut eandem pluribus medicinam adhibere liceat, sed singulae quaeque examinandae sunt. Atque Bacch. 127 quod R. codd. memoriam

Etiám me advorsus éxordire argútias?
sprevit, fecisse id videtur observatione aliqua motus de solius *advorsum* formae usu-Plautino, de qua ubi egerit nunc nescio, egisse autem videtur post Amph. a Fleck. editam, qui 750 servat : „*Mirum quin te advorsus dicat*". Quodsi revera non, ut vetustus et recentior latinus sermo — ex illo cf. *arvorsum ead* in S. C. de Bacch., *adversus hac* in plebiscito Siliorum ap. Fest. p. 246, *advorumm* h. e. *advorsum* in tab. Bant. l. 6, *advorsus* ib. l. 15 — promiscue utraque forma usus est poëta (1), tamen non scribam cum R. et Fleck. *med advorsum*, sed vel *me exadvorsum* (eodem accentu quo Ter. Phorm. I 2, 37), vel particula interrogativa ad *etiam* affixa :

Etiám*ne me* advorsum éxordire argútias?

Nam non tantum in eis interragationibus, quae graviter monentium sunt, admittit *etiam* signum interrogationis, ut Poen. I, 3 22 „*Etiamne abis?*", sed in eis quoque, quae admirationem et indignationem indicant, ut Most. 520 :

Sed tu étiam*ne* astas néc quae dico obtémperas?

Neque recte egisse Ritschelium dixerim, quod Pseud. 371 *ten*, quod A praebet (*te* rell.) in *ted* mutavit :

Tén amatorem ésse inventum inánem quasi cassám nucem.

Respondet hoc leno, qui facile omnes collegas socco incedentes ore ferreo vincit, juveni ab ipso decepto, qui exhausta turpissimorum conviciorum copia finem facit interrogando : „*Ecquid te pudet*". At sane non est cur pudeat hominem impurum amatoris nummis destituti; neque enim propter eum damnum fecit aut contra prudentiam peccavit : pigere eum possit temporis frustra agendo consumti. Itaque ne illud quidem teneo, in quod initio incidi, ut legerem :

---

(1) Differentia quam affert Agroetius p. 2267 „*Adversum te, adversarius; adversus te, imitatur*" — ficta videtur.

„*Men? te amatorem*“ : eo interrogandi in responsione modo, de quo egit Handius Tursell. IV 84. cl. Fleck. Philol. II 93. Immo cum Fleck. cod. A sequor, ut leno minime laesus contumeliis, etiam misericordia misere amantis adulescentis tactus, exclamet : „*Ten . . . inventum*“. Hujus infinitivi exempla Plautina non est quod afferam, quamquam mirum quantum Terentianorum multitudini numero cedunt. Ejusd. 1272 nescio an in librorum scriptura :

Sed postquam exurrexi, orant *me id* ut saltem

lateat nominativus plur. *eis*, qui extat in legibus sexti et septimi saeculi, etsi in Plauti libris certum vestigium, quantum sciam, nondum repertum est et e poëtis unicum exemplum praebet Pacuv. ap. Charis. p. 108 (133 K.) „*Ques sunt is*“. Ejusd. 1297 Fleck. non debebat offendi hiatu :

Nón vides mé, uti mádide madeam,

praesertim in tanta vicinia ejusdem licentiae v. 1309. 1310 ab ipso concessae.

Stich. 488 sq. sic exhibent codd. :

Hau postulo equidem me in lecto accumbere,
Scis tu me esse uni subselli virum

(nisi quod A 488 *quidem*, ne hoc quidem temere reiciendum, v. Hand. Turs. III 31). In priore pronomine, quod hominis modesti significationem continet, in locum minus insignitum conjecto R. et Fleck. scripserunt :

Hau póstulo equidem in lécto *med* accúmbere.

Nos vero per Pyladis *summum* et Lipsii *medium* lectum descendamus ad *imum*, quem affectare non audet vir summissus :

Hau póstulo equidem *me imo* in lecto accúmbere

Deprehendisse eam vocem in sequentis potius versus lectione corrupta *uni* videbantur cum alii tum R. (ut similium earum vocum commutationem non raro admisisse librarios constat : notus est v. Hor. A. P. 32. Nec dubito quin

Catull. 22, 10 Suffenus „*imus caprimulgus aut fossor*“ appellatus sit; nam praestantia quidem augetur unitatis accessione, hominum autem, qui numeri sunt, vilitas in communi sorte, quam cum plerisque participant, consistit); sed *subsellii* locum opus non est accuratius definire, quamquam fieri poterat, ut Capt. 471 :

Nón morantur jám Lacones *imi subselli* viros

Nam cum dominus scurras, siquidem in convivarum numerum eos recipere libuit, secum in imo lecto habere soleret (Hor. Sat. II 8, 40. Epist. I 18, 10), sane non est credibile eum convivarum commoditati ita non consuluisse, ut ad ipsorum pedes disponeret parasitos : quibus non alius poterat esse locus, si ei quid ad cenam vocati erant novenarium numerum explebant, quam propter ipsum dominum. Quo igitur loco is qui simpliciter *subsellii vir* appellatur quaerendus sit, per se apparet. Itaque ex codd. *uni* non efficimus *imi*, sed aliud latere suspicamur. Quod quale sit, magis elucescet, si contulerimus v. 699, ubi servus compotantem servum invitans interrogat :

Pótiusne in subséllio
Cy'nice accipiamúr, quam in lectis?

Inde enim cynicam illam consuetudinem etiam nostro loco significari censeo et rescribo :

Scis tú*te me* esse [*c*]*úni*[*ce*] subsellí virum,

cunice i. e. *κυνικῶς*. Etenim, ut Saturio praecipit Pers. 123 : „*Cynicum ésse egentem opórtet parasitúm probe*“. Est autem etiam tertius locus in Sticho, ubi vitiosa codd. lectio ad similem emendationem ducere videtur. Nam v. 615 parasitum propter justum convivarum numerum expletum antea repulsum nova spe frustrari incipit Epignomus, qui, postquam aures se ei praebere homo neglectam dignitatem aegre ferens indicavit verbo : „*Posce*“ sic pergit : „*Edepol tibi opinor etiam uni locum conspicor, U'bi cubes*“.

Explevit versum mancum R. scribendo : „*uni locum unum conspicor*“, Fleck. „*uni locum esse conspicor*“. Tum pergitur :

Pa : Sané faciundum cénseo. *Ge* : O lux óppidi.
Ep : Si árte poteris áccubare. *Ge* : Vél inter cuneos férreos.
Tántillum loci, úbi catellus cubét, id satis erít mihi.

Haec proxima sunt potissimum, quae me moveant, ut 617 poëtam dedisse arbitrer :

Pósce :: Edepol tibi opínor etiam *cúnicum* locum *ego* cónspicor,

neque id solum propter amphiboliam, quae in catelli et cynici commemmoratione deprehenditur, sed etiam propter similitudinem soni *cunici* et *cuneorum*, nisi fallimur, quaesitam : ut cynicum jam simili πάϑει affectum habeamus, quo Chrysalum Crucisalum et Lydum ludos factum.
Amph. 433 sqq. profecto non detrahemus de festivitate loci, si pro eo quod vulgatur :

Me : Quíd ? nunc vincone árgumentis, té non esse Sósiam ?
Sos : Tún negas *med ésse*? *Me* : Quid ego ní negem, qui egomét siem ?
Sos : Pér Jovem juró *med esse* néque me falsum dícere.

(434 *me de esse* B, *me esse* rell. Pall. 435 *med esse* B, *me esse* rell. Pall.) — duplicamus pronomen *me*, ut alterum pro subjecto, pro praedicato alterum sit :

Tún negas *me me* ésse ? :: Quid ego ní negem, qui egomét siem ? ::
Pér Jovem juró *me me* esse.

Ib. 899, quem versum B et rell. Pall. (ut ex Parei annot. colligi possit : Bothius *te* legisse videtur) praebent :

Quo *téd* avortistí ? :: Ita ingeniúmst meum ::

in eo quamquam personae mutationem minus excusationem parare hiatui, quam caesurae ingratae elationi inservire nemo non videt, tamen ne tales quidem versus discissos sprevit ars Plautina quandoque dormitans, et quominus cum Fleck. elegantem versum refingente, sed dubiam accusativi formam admittente scribam :

Quor *téd* avortisti ? :: Ést ita ingeniúm meum,

prohibet me vel utriusque hemistichii eodem verborum ordine repetitus usus Truc. II 4, 7 : „*Quo te avortisti*“ et Stich. 626 „*Ita ingenium meumst*“. Sed ut versus stet, additamento opus est :

Quo *te* ávortisti *quáeso?* :: Ita ingeniúmst meum.

Bis composito verbo pro simplici reducto a necessitate *ted* recipiendi nos exsolvimus. Amph. 912 :

Nam númquam quicquam méo animo fuit aégrius,
Quam póstquam audivi *te* ésse *ob*iratám mihi.

et Cas. II 3, 19 :

O'bsecro. Sánu'nes? :: Sánus quam *téd* amo

(Sic B. C. Pal. 2. 4 *qui te deamo* Pal. 3); scribimus „*Sánus. quam té deamo*“, observantes in choriambo admisso id quod Hermannus El. d. m. p. 206 praecipit, „*ut per pronuntiationem magis quartus paeon esse videatur vel etiam creticus*“. Ib. autem I 49

Sine amabo te amari, meus festus dies,

cum *ted* non nitatur codd. testimonis, non tam compositum revocamus quam duabus litteris repetitis unam addimus :

Sine amábo te *a me* amári, meus festús dies.

Neque Asin. 632

Hinc *méd* amantem ex aédibus ejécit hujus máter

(*med* B, *me clamantem* rell. Pall.; tum *delegit* codd.) vitium ex praepositione ad pronomen retracta ortum putaverim, sed *modo* adverbium, quod non raro excidit (cf. v. c. Pseud. 716. Amph. 897) praemiserim : *Hinc módo me amantem ex aédibus éjecit hujus máter.* Obtestantium exclamationes quam saepe a librariis praetermissae sint, cum quaevis fabula documento esse possit, non erit audacius pro eo, quod tacentes de codd. Pareus et Bothius ediderunt Epid. V 1, 23 :

Haéc edepol remoráta *med* est :: Síquidem istius grátia
És remoratus . . .

reponemus : „*remorata mest* :: *Pol, siquidem*“ . . .

Nequeo, cujus loco Ciceronem semper *non queo* posuisse nunc docent, apud Plautum multo saepius quam Ciceroniana dictio adhibita, quam facile eam sua sede pellere potuerit manifestum est : quemadmodum Merc. 707 pro

Sed quaé loquatur, éxaudire *nón queo*

F. Z. peccant *nequeo* exhibentes. Nec aliter Asin. 504 :

Nón queone ego *te* ínterdictis fácere mansuetém meis

substituo codd. scripturae *Nequeone* : discerptam quae videtur, particulam *nonne* feres cum Handio Turs. IV 311.

Aul. II 1, 1 Hermannus El. d. m. p. 307 Reizium ex parte secutus sic descripsit :

Velím te arbitrári, *med* haéc verba, fráter,
Tuáï fidéï meáïque réï hoc
Causá facere

(*me* libri). Sed quod in altero versu noluit cum Lips. delere *hoc*, id neque video quomodo constructio recipiat et improbasse apertum est Lachmannum, qui ad Lucret. III 374 (cf. imprinis p. 161) elisionem, qualis cernitur in *reï hoc* contra artem esse docet (1) et p. 151 duobus genetivis quintae declinationis terminationis spondiacae ex Plauto nostrum addit (2), in quo Reizius non sine specie „*Meáï fidéï tuáïque réï*" scripserit. Monosyllabam huic loco formam secundum poëtae consuetudinem reddemus, si ex priore versu *me* huc deferimus illique unius syllabae detrimentum pleniore infinitivi forma revocata sarcimus :

Velím te arbitrár*ier* haéc verba, fráter,
Meáï fidéï tuaïque *rĕi me*
Causá facere.

---

(1) Poen. III 4, 35 ex V. C. manu : „*qui illi mala eire it·ante fuimus inlices*" prave Pareus fecit „*Qui illi malae rei ánte fuimus inlices*", recte Bothius „*Qui illi malae rei tántae fuimus inlices*".

(2) Accessit in Ritschelii diorthosi Most. 90
Hominém quoius réi similem esse arbitrarer.

Contra, dum certiora de Sotadeis comicis aut concedendis aut denegandis edocti erimus, sequor Hermannum El. d. m. p. 458 Amph. 163 sqq. eo metro describentem :

Haéc eri ímmodéstia
Cógit me, qui hóc nóctis a pórtu
I'ngrátiis excitát : nonne ídem —,

ut *med*, quod bacchiorum suorum gratia de suo addidit Fleck. :

A pórtu med íngratiís excitávit

opus non sit asciscere.

Most. autem 322 sive trimetrum bacchiacum cum R. statuimus :

Visne égo te ac tu *méd* amplectáre?

(*me* libri) sive praemisso *Debébas* tetrametrum cum Hermanno, et nostrae rationi consulemus neque oppositioni inservientes accentus abstergebimus, si legemus :

Visne égo te *atque* tú *me* amplectáre.

Mederga Handius Tursell. II 440. Vossio de arte gramm. II 14 et Meursio fidem habuit esse duo nomina compositione in unum conjuncta, ut *redeo*. Sed si in anastrophe dicitur cum elisione *te erga* Cap. 245, *me erga* 416 et saepius, quid est cur non quos versus metro plane carentes B et rell. Pall. Epid. III 3, 9 praebent, sic corrigamus :

Quasi égomet, qui dum fíli causa coéperam
Excrúciare me ánimi, quasi quid fílius
Meus déliquisset *me érga*, aut quasi non plúrumum —

(*med erga* libri).

Asin. 20. Par. et Fleck. scribunt

Si quíd *med erga* tu hódie falsum díxeris

(*med* B, *met*, *me* rell. *tu* inclusit h. e. de suo addidit Fleck.). Reddamus huic versui antiquam, ut Mar. Victorin. p. 2457 tradit, et Plauto a Bergkio Diurn. Antiq. 1855 p. 291 multis locis restitutam formam *hocedie* :

Si quíd tu *me erga hocédie* falsum díxeris.

Cum Vossio Nonii libros *te* exhibentes correxit Ribbeckius Pacuv. 248

Páriter te esse erga íllum video, ut íllum *ted ergá* scio :

ubi aut transponas *illunc erga te* aut scribas *te erga sentio.*

Quod e generibus corruptelarum quartum posuit Hermannus Praef. Trin., turbatum verborum ordinem, id quam late pateat in Plauto cum diu perspectum est, tum Ambrosiano adhibito in clarissima luce collocatum. Itaque in versibus, qui luxatis pedibus laborant, caventes, ne fulcro parum firmo D affixi utamur, Rud. 574 ex A memoria :

Recipe me in tectum, da mihi aliquid vestimenti aridi

non efficiámus cum Ritschelio Mus. Rhen. V 135 :

Récipe *med* in téctum, da aliquid míhi vestimenti áridi,

sed cum Fleck.

Récipe *me in* tectúm, da mihi vestímenti aliquid áridi.

Pro eo quod perfacili transpositione Bacch. 619 ex B lectione

Inimícos quam amícos equust me habére

Hermannus formavit *aequóm mest*, nescio an quod CD habent *equiust* potius cum Fleck. hoc ordine recipiendum sit : *habére aequiúst me* : quamquam in constructione liberiore membrorum comparatorum non offendimus.

Merc. 765

Palam ístaec faciunt, té me odisse :: Quín nego ::

Non te odisse aiebat uxorem verum suam

(*Non non te* B). R. alterum correxit :

Non *téd* odisse, vérum uxorem aibát suam :

quem in extremo versu secuti in priori parte cum B. geminatam negationem servamus, coll. Ter. Phorm. II 1, 73. Catull. 14, 16, vocem autem sententiae pondere insignem delitescentem defendimus eis, quae Ritschelius Proleg. p. 266 sqq. concessit, recessisse aliquando poëtas ab accentuum notionumque convenientia.

Men. 720 quod proxime ad codd. memoriam accedens

Nam me da etatē (Ba me da etate Bb, similiter reliqui, *me de* omnes secernentes) *viduam essem avelim* — R. dedit.

Nam meăm *med* aetatem ésse viduam mávelim :

in eo vereor ne praeter usum accusativo *aetatem*, qui est *διὰ βίου*, pronomen possessivum adjecerit, neque ideo transpono *me meam aetatem*, sed cum Fleck. jurandi adverbium insero :

Nam aetátem *ecastor* víduam *me* esse mávelim.

Unius voculae sede mutata Pseud. 589 B lectio servari posse videtur. Jactat Pseudulus malitiam suam fraudulentam et artium suarum quasi legionibus lenonem tanquam oppidum perditum se ire gloriatur :

I'nde me et simúl participes meŏs praeda onerabo átque opplebo,
Metum ét fugam perduéllibus meis me esse ut sioant natum :
Eŏ sum genere gnátus

(meutsciantnatum A). R. cum aliis verbum requirens, a quo accusativi regerentur, scripsit :

Metum ét fugam perduéllibus meis íniciam *med* út sciant,
Quó sim genere gnátus.

Sed ipse servus quasi Homericus quidem princeps dici potest *δεῖμα φόβος τε τετύχθαι* hostibus :

Metum ét fugam perduéllibus meis *me* út sciant esse nátum :
Eŏ sum genere gnátus.

Pariter sede verbi auxiliarii commutata codicis B recensori D suum remittimus Asin. 299 :

Quót pondo *te cénses esse* núdum :: Non edepól scio.

In sequenti autem *ted*, quod Fleck. recepit, removemus *temet* priori hemistichio restituto :

Scíbam ego *temet* néscire; at pol égo, qui te expendí scio.

Ratione habita legis de accentu ejusdem vocis brevi intervallo repetitae variando, quam contra Bentleium a

Lachmanno et Hermanno vindicatam agnoverunt Ritschelius Proleg. p. 206 et Fleckeisenus Ep. crit. p. XXI, non ingrata videri possit Guyeti emendatio Pers. 13 :

Quís illic est, qui cóntra me ástat? :: Quís hic est,
qui contrá *med* ástat?

(*me* libri). Non variant Hermannus et R. scribentes *Hic quis*. Sed quamquam Fleckeiseni adhuc expectamus de illa lege expositionem aecuratiorem, quam promisit Jahn. Annal. LXI p. 28, tamen earum causarum, quae eandem voculationem non modo excusant, sed elegantiorem reddunt, nullam hic locum habere consemus ideoque scribimus : „*Hic quis est qui me ástat contra?*“ cl. 208

Feminám scelestam *te ástans contra* cóntuor.

Rud. 187 miror quod voces ejusdem originis et mensurae accentu non mutato se contingentes toleraverunt et Fleck. :

Hóc deo complácitumst *med* hoc órnatu órnatam
in regiones
Ésse incertas tímidam ejectam,

et Hermannus, qui de metris p. 128 aliter ordinavit lacunosos versus :

. . hoc deo complacitumst?
Me hóc ornátu ornátam in incertás regiones tímidam
ejectam.

Quodsi Fleckeiseni ratio minus a vestigiis librorum recedit, proponimus :

Hóc deo conplácitumst, órnatam hoc *me ornátu* in
[hás] regiones :

sin quis Hermannum sequi mavult, idem assequitur ita : „*Me órnatu hoc ornátam.*“

Elegantiam quandam habere eundem accentum in repetitione eorundem verborum mox recurrentium haud absonum statuere nobis videmur, si illa cum parodia et cavillatione fit. Quamobrem postquam parasitus Menaechmum increpuit Men. 512 :

Nón ego te indutúm foras
Exíre vidi pállam?

respondere potest injuria suspectus 515 :

Tun *me* índutum *fuisse* pallam práedicas :

nisi praestat *vidisse* : neque erat cur R. praeferret : „*tun m ed indutum.*"

Bacch. 678, quem cum Bentleio ita dant R. et Fleck. :

Pól tu, quam nunc, *méd* accuses mágis, si magis rem nóveris

(*me* libri), non tam cum Hermanno *me quam* invertentes justo magis personae notionem premamus, quam aptam temporis elationem servantes transponamus :

Pól tu, quam nunc, *mágis* accuses *mé*, si magis rem nóveris.

In luxatis Merc. V 4, 21 sqq. versibus dittographiam odorans v. 21 et 27 atque 23 et 24, quos B sic habet

Temperare istac aetate istis decet te artibus.
Adulescentes rei agendae isti magis solent operam dare

et :

Vacuum esse istac aetate diis decebat noxiis.
Itidem ut tempus anni aetatem aliam aliud factum condecet

(23 *istac ted aetate his* CD) — contraxit R :

Témperare istác ted aetate hís decebat nóxiis :
I'tidem ut tempus ánni aetatem aliam áliud factum cóndecet.

Sed in tanta vicinia quis non moleste fert repetitas voces *aetate* : *aetatem* et *decebat* — *condecet?* Malim equidem versus a codd. oblatos eodem ordine relinere, nisi quod v. 21 et 23 vel in grata Plauti loquacitate similitudo major est, quam ut utrumque ab eo profectum credamus. Altero vero ejecto varias formas alter admittit, ex quibus non magis quam ea, quae Ritschelio placuit, haec a codd. recedit :

Témperare istác aetate *te hís* decebat nóxiis.

Quod bis Eulychus invehit in excusantem : „*Etiam loquere, larua*“, aptum est irae rixantis adulescentis. V. 27 autem leniter mutatus scitam oppositionem praebebit antecedentis. In quo cum interrogatum sit, si senilis prudentia amoris illecebis irretiatur, quid fiat re publica eorum consilio commissa : sane conveniet, si lasciva decentius aetas ab Amoris provincia exul temere rem publicam capessitum ire dicetur :

Nám si istuc jus sít, senecta aetate scortarí patres,
U'bi loci siét res summa pública? :: Ei, perií miser ::
A'dulescentes reí *ge*rendae mágis *v*olent operám dare :

jus sit recte R., cf. Rud. 978 et eundem conjunctivum restitue Aul. IV 10, 17; ut autem *volint* scribas in apodosi hypotheseos, quae conjunctivum habet, nihil opus est in vi modali, quae inest futuro, cf. Most 57. Poen. I 2, 161 saep.

22. Supersunt loci, in quibus codicum memoria potius servanda erat, quam mutationibus admissis necessitas dubias formas adhibendi suscipienda. Ita post ea, quae Fleckeisenus Jahn. Annal. LXI p. 20 sqq. de terminationis tertiae perfecti mensura docuit Pers. v. 280, quemadmodum codd. eum praebent

Servam óperam, linguam líberam erus *mé* jussit habére

(*jussit me habere* A) bonum versum esse non negamus neque cum Hermanno Elem. p. 157 *me habere jussit* aut cum R. *erus jussit med habere* praeferimus.

Et Most. 1109 Bb potius sequimur :

Me émunxisti :: Víde sis satine récte : num muccí fluont?

quam ex *me emunxit*, quod Ba (et similiter rell.) habet cum R. *Med emunxti* efficimus.

Capt. 240 :

Aúdio :: Et proptérea saepiús *te* ut meminerís moneo

contra codd. Fleck., ut sequentis octonarii formae eum accommodaret, ut videtur, „*ted ut memineris moneo*“ scripsit, cum huic ipsi leni transpositione et solennis ordo verborum et aequabilis numerus reddendus sit :

Nón ego erus, sed tíbi conservos súm : nunc te unum
hoc óbsecro

(*nunc obsecro te hoc unum* libri). In priori autem *mémineris* accentum etsi non unice verum (cf. Bacch. 328. Rud. 1217, ubi quidem facilis est emendatio :

Quód promisti, ut *mémineris*, hocédie ut liber sím ::
Licet),

at longe frequentissimum servavimus.

Aul. II 2, 23 sqq. sic descripsit Hermannus Elem. p. 308 :

I'd quod in rém tuam — óptumum esse árbitror
Téd id admónitum adventó :: Soror, tuó facis
Móre :: Factúm volo ::
Quíd ést id, sorór? :: Quod tibí sempitérnum
Salútare sít liberís procreándis :

sed recessit a codd. (non F. tantum, ut ait), qui habent : „*Te monitum advento. Soror more tuo facis. Facto (sic B. facta rell.) volo.*" Id quod facile in septenarii trochaici numeros redigitur, non magis offendentes illos quam jambicos in hoc cantico aliquoties insertos :

Té monitum adventó :: Sǒror, more tuǒ facis ::
Factúm volo.

Ennii Teleph. 293 Rib. non haesit in *profiteri* compositi prima syllaba producta Lachmannus ad Lucret. I 778, neque nos in similium inconstantia (cf. prōficio — prŏficiscor) Ennium eadem mensura uti cogemus qua Ter. Eun. prol. 3, sed ferimus :

Te ipsum hás opórtet prófiteri et próloqui (1).

---

(1) Neque cum R. Men. 643 Quando nil pudet
Néque vis tua volúntate ipse prō'fiteri, audi átque ades :
mutaverim in prŏfiteri audi atque *huc* ades :
nam si audire et accedere jubeat mulier maritum, inelegans sit hysteronproteron : audire et adesse animo aptius jubebit. Cf. Poen. IV 2, 115 : „*Osténde* :: *Ínspice jam* :: *A'peri* :: — *Audi átque ades*" : ubi hiatus non offendit.

Ennii Hect. lustr. 141 Ribbeckius et Vahlenus dederunt :

At ego ómnipotens
Téd exposco, ut hóc consilium Achívis auxilí fuat

(*te* Nonii libri). Vitamus additamentum aliter dimetiendo :

. . at ego, ómnipotens, te expósco, ut hoc
Consílium Achivis aúxili fuát . .

Nec non Caecil. Stat. 76 senario integritatem reddemus praemisso monosyllabo, velut

[Tum] fílius in *me* incédit sat hilará schema.

II De jussivo temporis praeteriti.

Constructionis sermonis latini leges cum eo consilio adhuc fere in artibus grammaticis consideratae atque collectae sint, ut discentes simul stili praeceptis imbuerentur, factum est, ut eorum potissimum scriptorum, quorum exempla sequenda sunt imitaturis, ratio haberetur, veteres autem, si qua ab illorum usu recederent, exceptionibus exclusi obiter tantum commemorarentur; sin facerent cum illis, plerumque neglegerentur. Sed ex quo grammatici vocabulorum formas et significationes ita demum, si ad antiquissima monumenta descendatur, pernosci posse et viderunt et praeclaro saepe eventu ostenderunt, extiterunt aliquot viri docti, qui etiam origines et decursus „*perfectae orationis*", ut cum Prisciano loquar, investigandos itaque ab altera quoque parte historiae sermonis latini fundamenta jacienda esse profiterentur : quorum virorum ex numero nominasse sufficiet F. Haasium, qui in concilio philologorum Vratislaviensi ea de re monens idem egregio exemplo praeivit.

Longe autem majorem differentiam inter vetustiorum et classicorum orationem deprehendimus in casuum structura quam in temporum et modorum usu : cujus si apud hos singularia quaedam et a norma recedentia exempla occurrunt, raro ea insolentia ad constantem illorum usum

revocari poterit, neque praetervidendum est alacrem sermonem familiarem, qui multa sibi habet propria, antiquioris tantum aetatis monumentis testatum extare, ut, si quaedam apud posteriores vix reperiuntur, id non temporibus, sed ipsis generibus litterarum tribuendum videatur. Sed vel sic justae artis est singulos usus ad sua quaeque principia, quae quidem nobis patent, persequi. Itaque propositum nobis est e comicis illustrare usum quendam imperfecti conjunctivi, de quo non plane recte praecepit. Madvigius, qui hunc locum e Cic. de fin. (II 12, 35) „*Epicurus autem, quom in prima commendatione voluptatem dixisset, si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum quod ille; sin eam quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam in prima commendatione poneret*" ita annotavit : „*F e c i s s e t est ex eo genere conjunctivorum, quod post condicionem (sive ea verbis expressa est sive intellegitur) ponitur ad significandum non id, quod fieret factumve esset, sed quod fieri debuerit. Attigit rem a grammaticis fere neglectam Zumptius § 529 not.* [qui haec habet : *Ter. Heaut. I 2, 28 Mansum tamen oportuit. Fortasse aliquanto iniquior erat praeter ejus lubidinem : P a t e r e t u r. Cic. p. Sest. 20, 45 R e s t i t i s s e s, r e p u g n a s s e s, mortem pugnans o p p e t i s s e s*]. *Exempla (nemo enim adhuc nisi unum et alterum posuit) sunt : in Verr. II 1, 42, 107 (Voconia lex te videlicet delectabat : i m i t a t u s e s s e s ipsum illum Voconium). V 65, 168 (A d s e r v a s s e s hominem custodiis tuorum Mamertinorum vinctum, clausum h a b u i s s e s, dum Panormo Precius veniret* [*et*] *cognosceret hominem; aliquid de summo supplicio r e m i t t e r e s; si ignoraret, tum, si ita tibi videretur, hoc juris in omnes c o n s t i t u e r e s, ut, qui neque tibi notus esset neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis R. esset, in crucem tolleretur). N. D. I 32, 89 Si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? s u m p s i s s e s tuo jure). Off. III 22, 88 (Male etiam Curio, quom causam Transpadanorum aequam esse diceret,*

semper autem addebat „„Vincat utilitas." Potius d i c e r e t non esse aequam, quia non esset utilis rei publicae, quam, quom non utilem diceret, esse aequam f a t e r e t u r). Liv. XLV 37 (Ser. quidem Galba . . . non triumphum impedire debuit, sed postero die quam triumphatum est, privatum quom eum visurus esset, nomen d e f e r r e t et legibus i n t e r r o g a r e t [sed h. l. contra Sigonium, qui infinitivos *deferre, interrogare* pendentes a *debuit* restituit, Dukerus conjunctivos defendens nullum ex Livio exemplum attulit]). *Prop. IV (V) 7, 29 (Si piguit portas ultra procedere, at illuc Jussisses lectum lentius ire meum). Ter. Andr. IV 4, 54 (Alio pacto haut poterat fieri Ut sciret haec quae voluimus:: P r a e d i c e r e s.) Hec. II 1, 33. Qnae hic erant, c u r a r e s). Jussivos est modus; itaque in negando dicitur n e, ut ad Att. II 1, 3 (Et quoniam te quom scripta tum res meae delectant, eisdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim; aut n e p o p o s c i s s e s; ego enim tibi me non offerebam) in Verr. III 84, 195 (quid facere debuisti? . . . sin, ut plerique faciunt, in quo erat aliqui quaestus, sed is honestus atque concessus, frumentum quoniam vilius erat, n e e m i s s e s, sumpsisses id nummorum, quod tibi senatus cellae nomine concesserat)."* His addidit Grammat. §. 351 n. 4. Fin. IV 20, 57 (Quid igitur voluit sibi qui illa mutaverit? Saltem aliquid de pondere *detraxisset* et paullo minoris *aestimavisset* ea quam Peripatetici). Halmius ad Cic. p. Sest. l. c. 24, 45 (Quodsi meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo *commoverentur*) ad Cic. p. Sulla 8, 25 (At si, judices, ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium *sileretur*) : p. Caec. 16, 46 (At ego hoc dico, si . . . discessisset, dubitare vos non debuisse . . .; sin . . . recessisset, eo minus *dubitaretis* [quamquam h. l. pari jure simplici confirmatione orator judicum animos occupare censeri potest, quam hortando movere]) in Verr. II 23, 57 (Quid enim debuit praetor facere? . . non et in eum, qui accepisset, *animadvertisset*

[ubi Klotzii inf. perf. *animadvertisse*, pendens ille a *debuit*, a Ciceronis usu abhorret, cf. Madvigii opusc. II 119 sqq.]). Ovid. Trist. IV 3, 30

(Tristis es? Indignor, quod sum tibi causa doloris.
Non es? at amisso conjuge digna *fores*.

[ubi sententia non minus condicionem admittit]) in Verr. V 23, 39 (etiamsi precario essent rogandi, tamen ab eis *impetraretur*). Naegelsbach. Stil. p. 266 ed. II : Cic. N. D. III 31, 76 (Contra deum lieet disputare liberius. In hominum vitiis ais esse culpam. Eam *dedisses* hominibus rationem quae vitia culpamque excluderet.) p. domo 51, 132 (si quid deliberares, si quid tibi aut piandum aut instituendum fuisset religione domestica, tamen, instituto caeterorum vetere, ad pontificem *detulisses* [quod quamquam „*satis latine*" pro *deferre debuisti* dici posse apparet, tamen non minus apte opinionem suam de eo quod sine dubio futurum fuisset, Cicero indicare poterat]). Ex eis quae Haasius, qui cum Reisigio § 301 enallagen agnoscit n. 464, attulit n. 461 non nisi p. Rabir. Post. 10, 29 huc pertinet (*Moreretur, inquies*); nam Auct. ad Her. IV 24 est interrogatio, cujus exempla fréquentissima scientes praeterimus; ib autem c. 9 *venirent* et *conarentur* aperte sunt condicionis consequentia, non jussivi. Dicit enim orator, ni ab aliis incitati et adjuti essent socii rebelles, non fuïsse arma capturos contra Romanos. Denique aliquid suboluerat de eo usu Naekio ad Val. Cat. 37 (140) p. 160 : „*Cur non et notis facilis natura fuisset*", ubi annotat : „*Quid enim, si fuisset est esse potuerat? Admoveo vs. e Ciri. 447* „„*At belli saltem captivam lege necasses*"" [quo loco Jacob. ad Propert p. 165 *si* reticeri falso putat] *h. e. necare saltem potueras. Non diversum est ad rem Vergil. VIII 643* „„*at tu dictis Albane maneres*"" *quamquam ibi non tam liciti quam debiti significationem conjunctivus infert : at tu dictis manere debebas; cf. Plaut. Trin. I 2, 96 sq.*"

Haec exempla adhuc congesta repperi mixta imperfecti et plusquamperfecti, quorum in eo genere exiguum est discrimen; namque ut praetermittam conjunctivum perfecti pro praesenti jubentis et praecipue vetantis poni solere (v. Madvig. opusc. II 105), in actione, quam tempore praeterito fieri debuisse dicimus, parum interest, utrum exigamus, ut illo ipso tempore actum sit, an ut ante aliud quod et ipsum praeteritum, at huic tempori, quo loquimur, propius est. Quod autem supra dixi a Madvigio rem non esse illustratam : ipse sibi contradixit in explicatione. Nam cum initio condicionalem esse modum docuerit, jussivum eundem mox appellat. Jussivo autem ut negandum non est in periodo hypothetica locum esse, ita non semper astrictus est condicioni. Immo praeclare ostendit Etzlerus in libro „*Spracherörterungen*" Vratisl. 1826 v. IX et Comment. de enallage imperf. pr. plusquamperf. in Jahni Annal. 1829 p. 212 sqq. (quem secutus est Krügerus Grammat. lat. § 458 sq. 641 n. 7), duplicem esse vim, quae imperfecto in apodosi possit inesse, ut aut ad modum imperfecti et aoristi indicat. graeci pro condicionali praesenti habendum sit et mutua relatione cum verbo hypotheseos cohaereat, aut vero suam vim retinens *potentialis praeteriti* vicem gerat. Modo vir doctus ne substitisset in hoc nomine nimis angusto — quamquam extendi id ab ipso varietas verborum auxiliarium, quae in tradendo adhibet, indicat —, sed conjunctivo modo latum campum, qui intra fines commemorationis rerum revera factarum et postulationis necessario faciendarum patet, tribuisset. Sed ut de nomine ne rixemur, recte vir doctus vidit sine condicione dicta esse *crederes diceres* sim., quibus narrantes lectorem compellant (1).

(1) Obiter monemus perraro talibus imperfectis usos esse comicos, ut Plaut. Curc. 381. Ter. Heaut. II 3, 66 recte contra Bentleium Fleck. dedit :

Sunt ea non minus saepe jussivi — id quod Krüger. Grammat. § 459 n. 2 perspexit —, quam quae in sumtivis sententiis leguntur hujusmodi : „*at dares hanc vim M. Crasso : in foro saltaret*“ : quae forma in tempore praeterito idem valet quod in praesenti haec : „*Crede húic tutelam : suăm rem melius gésserit.*“

Pertinent huc porro non pauca exempla ex eis quae nunc nonnullis conjunctivi *interrogativi* videntur. Quid quaeso interrogationi commune est cum modo? Pari jure loquaris de conjunctivo affirmativo et negativo. Itaque jussivum agnoscimus in his comicorum versibus : Trin. 176

Utrum índicare me eí thensaurum aequóm fuit? ::
An ego álium dominum *páterer* fieri his aédibus?

961

Quem égo qui sit homo néscio
Néque oculis ante húnc diem umquam vídi, eine aurum *crédérem?*

Most. 452

An tú tetigisti has aédis? :: Quor non *tángerem?*

Curc. 552

Stúltior stultís fuisti, qui hís tabellis crédéres ::
Quís res publica ét privata géritur, his non *crédérem?*

Ter. Eun. V 1, 14

Istúcine intermináta sum hinc abiéns tibi ::
Quod *fácerem?*

Ad. II 2, 6

Quid *facerem?* :: A'dulescenti mórem gestum opórtuit.

Contínuo et lacrumis ópplet os totúm sibi,
Ut fácile *scires* désiderio id fíeri :

in enuntiato consecutivo, ut Andr. I 1, 108 *Crederes* et *scires* Lachmannus ad Lucret. p. 297 restituit Heaut. I 2, 18, Ad. V 3, 43 : et profecto vix licet *crederest* defendere versu Mummii, Atellanarum poëtae incerti temporis, sed qui minimum centum annis Terentii aetate minor est, apud Charis p. 145 K :

A'd spectaculá'st videre in téstu quantum sít caput.

IV 5, 40

Haec mí pater
Te dícere aequom fŭit et id deféndere ::
Ridículum! advorsumne íllam causam *dícerem?*

Exempla autem, ubi vel sumtionis absentia prohibere debet, quominus de condicione cogitetur, sunt : Pseud. 437

Vetus nólo faciat :: A't enim nequiquám nevis,
Vel tú *ne faceres* tále in adulescéntia :

ubi olim *tune* conjungentes condicionem inesse putabant dictioni *in adulescentia : „si adulescens esses, profecto tu ipse faceres tale."* Sed *ne* particulam confirmativam Plautus pronomini *tu* non affigit, nisi primo enuntiati loco ei responderi facit, qui interrogavit per *Egone?* (v. Fleckeisenum Philol. II 91 sqq. Recte igitur *egone*, quod esse debebat *ne ego*, remotum est Mil. 565 et contra codd. et Nonii consentiens testimonium Heaut. V 1, 77. Poen. autem I 3, 19 in oratione perturbata juvenis amore insanientis, lege :

Ego, né ego, si istuc lépide faxis :: J' modo).

Attamen possit aliquis exquisitius locum explicare velle secundum usum quendam, cujus, quamquam ne a Plauto quidem alienus est, Madvig. ad Cic. Fin. V 3, 8 duo tantum exempla Ciceroniana habet. Ciceronis enim verba *„Sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim"* sic annotat : *„Non optantis hoc est et precantis, verum verentis, quod insolitum esse in sermone latino dicendi genus, ut ante* n e *verendi significatio premeretur, sensit Lambinus. Nec habeo quod comparem, nisi Verr. IV 15 (Quid mihi tam optandum, judices, potest esse in hoc crimine, quam ut haec eadem dicat Heius? Nihil profecto : sed ne difficilia optemus.) Huic similest I 47 (Verbum tamen facere non audebant, ne forte ea res ad Dolabellam ipsum pertineret); sed hoc ab nostro loco longius recedit."* Addi possit ex Cicerone p. Font. 6, 11 (quem locum ex cod. Vatic. restituit Fleckeisen. Philol. II 63 sqq.) : *„Hic si ingeniosi et periti et aequi judicis has partes esse existimatis, ut, quoniam quidem testes*

dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit : Salus ipsa innocentiam virorum fortium tueri non potest; sin autem in rebus judicandis non minimam partem ad unamquamque rem existimandam momentoque suo ponderandam sapientiam judicis : ne multo vestrae majores gravioresque partes sint ad cogitandum quam ad dicendum meae" : ubi cum Fleck. post *judicis* inseruerit *valere existimatis : videte* : neutro opus esse videri possit; nam in altera hypothesi facile mente repetas clausulam prioris „*esse existimatis*" — et ita Halmius in Orelliana II judicavit —; *videte* autem sive, quod idem esset, *vereor* aegre desideraverim; nam quamquam Graeci *μὴ*, verbo regenti non addito, ita ponunt, ut non tam metum quam modestiam ejus, qui aliquid affirmat, indicet (v. exempla apud Krüger. Gr. § 54, 8, 13), tamen pauca exempla nostra latina priori genere comprehenduntur. Itaque etiam Sen. de benef. I 14 extr. „*Quare si quis existimat nos, cum ista praecipimus, benignitatis fines introrsus inferre et illi minus laxum limitem aperire : ne perperam monitiones nostras exaudit*" potius particulam confirmativam adjecto pronomine fulciamus, quam conjunctivum *exaudiat* cum Fickerto a negativa suspendamus. Recte denique sprevit Handius, qui in Tursellino hunc usum praetervidit, rationem ejus, qui Caes. B. G. VII 35. 43. B. C. I 8 in enuntiatis aperte consilium indicantibus *veritus* omissum esse statuit. — Plautina autem exempla sunt : Stich. 600. Postquam Pamphilus parasitum spe cenae frustraturus ipsum foras promisisse, et, si domi sibi coqui jubeat, soli sibi cenandum esse dixit, Gelasimus :

Nón enim solus : mé vocato :: *Pa* : A't ille *ne suscénseat,*
Meă qui causa súmptum fecit.

Most. 922

Vél mihi denumeráto : ego illi pórro denumerávero ::
'At enim *ne quid cáptioni mihi sit,* si dederím tibi.

quem locum ita distinxit Bothius, quasi moneret erus servum, ne verba sibi daret : quod si voluisset significare

poëta, non dedisset *dederim*, sed *dedero*. — His duobus nescio an adiciendum sit Trin. 755, de quo aliter judicavit Ritschelius Parerg. I 565. Callicli, qui, quomodo amici filiae dotem paret ita ut ejus frater, adulescens nihili, eam de patris bonis esse erogatam nesciat, suasit Megaronides ut adulescentem potius de pecunia a patre clam relicta edoceat. Callicles autem prorsus negat fieri posse, ut cum nepote id communicet, quippe qui tam auri egens et prodigus sit, ut comesurus sit vel locum, ubi lateat thesaurus :

Quem fódere metuo, sónitum ne ille exáudiat :
Ne rem ípsam indaget, dótem dare si díxerim.

Haec ita dicta esse Ritschelius volt quasi : „*Nolo eum fodiendi sonitum exaudire, ne, si alterum illud accesserit, quod dotem me dare velle dixerim, rem ille ipsam indaget*"; ut altera sententia a *ne* incipiens pendeat a priori, cujus conjunctionis exempla dedit Fleckeisen. Philol. II 95. Sed nihil aliud agit per totam hanc responsionem Callicles, quam ut Lesbonicum quam maxime celandum esse quem pater thesaurum reliquerit, confirmet. Vide igitur ne aptior sit haec gradatio : Jam fodere metuo eum locum, ubi aurum situm est, ne sonitus illum testem advocare possit: quid vero fieri dicam, si dotem ejus sorori promittam? nonne verendum est, ne statim suboleat ei de re ipsa?

His exemplis autem non audeo annumerare id, unde digressa est disputatio, Pseud. 437, idque non tam propter imperfectum tempus, quod ab hypothesi in verbis *in adulescentia* latente excusari possit, quam quia non curam timentis, sed modestiam cum leni dubitatione affirmantis prae se ferret Callipho : id quod non fieri vidimus in reliquis exemplis hujus „*ellipseos*", siquidem elliptica structura appellari potest, cujus oratio obliqua causam suam habet in animi commotione ejus qui loquitur, ita ut non simul verbo significet, cujus modi ea sit. Tenemus igitur jussivum nostrum : *A't enim nequiquám nevis, Vel tú ne face-*

res tále in adulescéntia. Mutatur ita vis particulae *vel*, quae in utroque priore explicatu idem valebat quod *etiam*, nobis autem eodem modo, quo saepius *aut* (de hoc v. Hand. Tursell. I 538) idem fere quod *alioquin* videtur esse. Pergimus ad reliquos jussivos. Nugatur Lindemannus, qui ad Trin. 133

Non ego ílli argentum rédderem? :: Non *rédderes*
Neque de íllo quicquam néque *emeres* neque *vénderes*,
Nec quí deterior ésset, *faceres* cópiam

„*conjunctivus, inquit, rem tamquam cogitatam pronuntiat.* [sed quis conjunctivus non?]; *Igitur non redderem est si te audirem, non redderem*“. Id tantum verum est, non imperiose posci aliquid h. l. — nihil hoc prodesset in re praeterita —; lenitatem quandam ipsa negatio *non* adhibita indicat : unde Madvigium severius *ne* postulasse apparet : quamquam excusatio insolenti usui parata est inde quod eisdem verbis, quibus interrogatum est „*Non redderem*“, respønderi consentaneum est. — Rud. 842

Quin óccidisti extémplo? :: Gladius nón erat ::
Caperés aut fustem aut *lápidem* :: Quid ego quási canem
Hominem *insectarer* lápidibus nequíssimum?

Pers. 710 Sagaristionem abeuntem, cujus animus jam in navi est, prosequitur his verbis Toxilus :

Cras *íres* potius, hódie hic *cenarés*. Vale.

Quod exemplum prope accedit ad cognatum optativi praeteriti usum, quem habes

Rud. 494

Utinám tu, priusquam te óculis vidissém meis,
Maló cruciatu in Sícilia *perbíteres*.

Capt. 537

Utinám te di prius *pérderent* quam périisti e patriá tua. —

Leve mendum irrepsisse videtur Poen. I 2, 174 :

Sícine ego te oráres jussi? :: Quómodo *ergo orem!* :: Rogas?

Síc enim *dícerés* . . .

(179) O'mnia illa, quáe dicebas tuă ésse, *memorarés* mea. Corrigit se quidem deinde servus et ita orat, ut ero placere putat, sed ex eo, quod is dicit *díceres* . . *memorares*, apparet non desiderare eum palinodiam, sed vituperare tantum prave ante dicta. Scribere igitur praestabit *Quomodo ego orarem?*

Ex Terentio locis a Zumptio et Madvigio citatis accedant Heaut. III 2, 21 :

Quid *facerét?* :: Rogas?
Aliquíd *reperíret, fíngeret* fallácias . . .
. . Haec facta ab íllo oportebát.

Phorm. II 1, 69 Non rátio, rerum argéntum deerat :: *Súmeret* Alicúnde

Phorm. III 1, 4 :

Nam út ut erant alia, ílli certe, quáe nunc tibi domíst, *consuleres*.

Consequens est autem propriae illi conjunctivi naturae, ut, si in periodi condicionalis apodosi positus sit, sumtionis modus ab eo non afficiatur. Recte igitur Ritschelius fecit, quod non sollicitavit Merc. 636 :

Quíd ego *facerem*? :: Quíd tu *faceres*? mén rogas? *requáereres*
Rógitares quis ésset aut unde ésset . . .
U'bi habitaret, *invenires* sáltem, nomen si *nequis* ::
Némo aiebat scíre :: At saltem hómines faciem *exquireres*.

Pro eo quod est *nequis* tempus praeteritum exspectas : at constat de liberiore usu praesentis, qui, cum in titulis antiquioribus regnet, ne a poëtis quidem serioribus spernitur (v. Madvig. Opusc. I 224 sq.), Plauto autem tam familiaris est, ut in primariis et secundariis enuntiatis promiscue eum sibi concedat.

Nostrum verbum ita habes Stich. 564 :

Senex quidem voluít, si posset, índipisci dé cibo :
Quía *nequit*, qua lége licuit, vélle dixit fíeri

Cf. Fleckeiseni Ex. Plaut. p. 9. 47.

Rud. autem v. 744, qui similem structurae libertatem habere videatur, si cum codd. legatur :

Tríma quae periít mihi, jam tanta *ésset*, si *vivít*, scio :

ideo comparari non potest, quoniam non jubet vel optat senex, sed conjecturam profert. Recte igitur Fleckeisen. a memoria librorum, quam Exerc. p. 31 tuebatur, recessit scribendo :

Tríma quae periít mihi, jam [*ea*] tánt*ast*, si vivít, scio.

Neque Ter. Phorm. II 1, 68 proprie huc pertinet :

verum sí cognata*st* máxume,
Non *fuit necesse* habére, sed id quod léx jubet,
Dotém *daretis*, *quáereret* aliúm virum :

supplenda enim est altera sive condicio (nam illud *si cognatast maxime* potius est concessio) : si res ad judicem deferretur, sive protasis causalis : quandoquidem lis intensa erat. Praeterita autem in sumtione habemus Cistell. IV 2, 15

Nam sí nemo hac *praéteriit*, póstquam intro [ego] ábii,
Cistélla hic *jacéret*.

(Quem locum apparet longe diversum esse ab eo, quem ad ejus normam mutabat Madvig. Op. II 69 : Capt. 711

Nam cógitato, síquis hoc gnató tuo
Tuus sérvos *faxit*, quálem *haberes* grátiam :

faxet recte retinuit Fleck.)

Pseud. 286

Fuit occasió, si vellet, jámpridem argentum út dare :
Quíd si non habuí ? :: Si *amabas*, *invenires* mútuom.

Truc. IV 2, 35

Sí *volebas* párticipare, *auférres* dimidiúm domum.

Bacch. 426

A'nte solem nísi tu exorientem ín palaestram *véneras*,
Gy'mnasi praeféecto poenas háut mediocris *pénderes*.

Ne in oratione obliqua quidem placuit poëtae conjunctivus Rud. 378 :

Quid *fáceret?* . . Si *amabát*, rogas, quid *fáceret?*
adservâret
Dies nóctisque.

Sed si verbum ipsum necessitatis significatione instructum in apodosi adhibetur, indicativum poni talium verborum ratio poscit. Ceterum cum plusquamperfectum jussivum non habeant comici, ei tempori soli has circumlocutiones reservasse videntur. Itaque utrobique indicativus positus Men. 195 :

Nám si *amabas*, jam *óportebat* násum *abreptum* mórdicus.

Poen. III 1, 22

Nón decet tumúltuari : séd si *properabás* magis,
Prídie nos te ádvocatos húc *duxisse opórtuit.*

Lucretius autem in consimilibus periodorum formis verbi, cui modalis vis est, indicativum pro imperf. conj. habet II 776. Sin alio atque alio *sunt* semina tincta colore, Quae maris efficiunt unum purumque nitorem . . ., *Conueniebat* . . . *cernere* in aequore ponti . . Dissimiles longe inter se variosque colores. III 679

Praeterea si jam perfecto corpore nobis
Inferri *solitast* animi vivata potestas,
Tum cum gignimur et vitae cum limen inimus,
Haud ita *conveniebat* uti cum corpore et una
Cum membris *videatur* in ipso sanguine cresse (1).

Sed etiam sumtio ficta praecedens, imperfecto vel plusquamperfecto conj. significata, restringere potest actionem

(1) Quibus in exemplis notandus est indicativus in afferenda sumtione, quem ipse poëta improbat; itaque si addideris I 645 : Nam cur tam variae res *possent* esse, requiro, Ex uno si *sunt* igni puroque creatae : non assentieris Lachmanno qui V 1197 indicativum in apodosi revocabat : Nec ratione alia volucres armenta feraeque Et pecudes et equae maribus subsidere *possent* (*possunt* L.), Si non ipsa, quod illorum subat, *ardet* abundans Natura et Venerem salientum laeta retractat.

aliquam, quae tempore praeterito evenire debebat vel non debebat. Quem ad modum Horat. Sat. I 6, 79 (Vestem servosque sequentes, In magno ut populo, si quis *vidisset*, avita Ex re praeberi sumptus mihi *crederet* illos) explicandum esse vidit Krüger. Gramm. §. 641. Adhibita igitur ea explicatione enallages amatoribus haec exempla praeripiamus : Amph. 525

Clánculum abii a légione: hanc óperam surrupuí tibi,
Éx me primo ut príma scires, rem út gessissem públicam.
Éa tibi omnia énarravi. nísi *te amarem* plúrumum,
Nón *facerem*.

Ipse fecisse se aliquid, quod non debuerit facere, concedit sibique vitio vertit personatus Amphitruo, ut Ovid. Trist. V 12, 49 : „*Non mihi debuerat cum versibus amplius esse, Sed fugerem merito naufragus omne fretum.*“ — Poen. III 3, 78 vilicus, quem advocati mane ex navi exiisse mentiti sunt, lenoni illicienti et interroganti, num forte quaeritet hospitium, respondet :

a muscis sí mihi hospitium *quáererem*,
Advéniens *irem* in cárcerem rectá via.

Mil. 29

Pol sí quidem
Conisus esses, pér corium, per víscera.
Perque ós elephanti *tránstineret* brácchium

(*transtineret* Ritschel. dedit pro codd. lect. *transmitteret*, cf. v. 468; mihi reliquiae quae in A conspiciuntur : *trans..in...t* ducere videbantur ad *transmetaret*, cui frequentativi composito hoc solo loco lecto librarii substituerint *transmitteret*) Ib. 719

Pól si habuissem, sátis cepissem míseriarum e líberis,
... Continuo *excruciárer* animi : sí forte ei fuissét febris,
Cénserem emorí : cecididissetve ébrius de equove úspiam,
Métuerem.

Tum possint huc referri e Bacch. versus, qui supra allatos sequuntur, 428 sqq.

I'nde de hippodromo ét palaestra úbi revenissés domum,
Cíncticulo praecínctus in sella ápud magistrum *adsíderes*:

sed licet etiam protasin continuatam statuere per alterum versum et eum, qui hunc excipit :

I'bi librum quom légeres, si unam péccavisses sy'llabam :

ut apodosis nunc demum incipiat :

Fíeret corium tám maculosum, quámst nutricis pállium.

Similis est cumulatio membrorum praemissorum Pers. 361 sqq.

Capt. 871

Abi stultus : séro post tempús venis ::
I'gitur olim si *ádvenissem*, mágis tu tum istuc *díceres*.

Dicit parasitus sane eum nuntium, quem jam de adventu filii afferat, tam diu exoptatum fuisse, ut, etiamsi multo ante cum eo venerit, tamen pater sero venire dicere debuerit.

Epid. III 3 in.

Non óris causa módo homines aequóm fuit
Sibi habére speculum, ubi ós contemplarént suum,
Sed id quí perspicere póssent cor sapiéntiae.
Ubi id *ínspexissent, cógitarent* póstea,
Vitam út vixissent ólim in adulescéntia :

nam quamquam hoc mere condicionaliter dictum videri possit, tamen praecedens *aequom fuit* commendat jussivum.

Plusquamperfecti circumlocutionem per indicativum verborum, quibus necessarii, justi, aequi vis inest, post sumtionem ficti habes : Bacch. 818.

Hunc si úllus deus *amáret*, plus anníс decem,
Plus jám viginti *mórtuom esse opórtuit.*

Stich. 512

Ét magis *par fuerát* me vobis *dáre* cenam adveniéntibus,
Quam ád illum me promíttere, ei nísi *nollem* advorsárier.

Ter. Heaut. IV 1, 21

sí meum
I'mperium exequí *voluisses, ínteremptum opórtuit.*

Haec igitur de jussivo apodoseos. Sed etiam sumtionum rerum fictarum conjunctivi, sive addita sive omissa particula condicionali, eandem fere varietatem habent, quam absolutorum enuntiatorum. Quod si perspectum habuisset Wagnerus ad Verg. Aen. IV 678 (Eadem me ad fata *vocasses* : Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset) : non ita distinxisset, ut h. l. conjunctivum aut proponendae condicioni inservire aut vim optandi habere statueret. In comicis aliquot exempla protaseos ipsis propriae ab *absque* incipientis — protasin dico sententiam, non formam respiciens — jussivi praeteritum exhibent. Bacch. 412

Nam ábsque *te esset*, égo illum haberem récte ad ingeniúm bonum,

Ter. Phorm. I, 4, 11

Eíus me miseret, éi nunc timeo, is núnc me retinet : nam ábsque eo *esset*,
Récte ego mihi vidíssem et senis essem últus iracúndiam.

Neque debebat Bentleius praesentis conjunctivum in apodosi revocare Hec. IV 2, 25 :

Quam fórtunatus céteris *sum* rébus : absque una hác *foret* :

immo *sim* scribendo incongruentiam vitaturus secundum nostram rationem minime offendentem in soloecismum incidit.

Neque enim Plautus imperfecto hypotheseos consequens habet praesens conj. Nam Most. 370

O'ccidi,
Sí tu vera mémoras :: Quid mihi *sít* boni, si *méntirer* :

jam versus rationi emendationem flagitanti oblemperatum et scriptum est *mentiar*.

Mil. autem 1356, si cum R. et Fl. potius scribimus :

Ét si ita senténtia *esset*, tíbi servire *mávelim*.
Múlto, quam alií libertus ésse;

quam cum V. C. *malui* — quod, quoniam jam manu missus

est servus, ferri possit — : nota est verborum ejus generis propria natura.

Unicum quod praeterea in monumentis Cicerone vetustioribus repperi exemplum, Lucret. I 592 non potest non esse mendosum : „si primordia rerum Commutari aliqua *possent* ratione revicta, Incertum quoque jam *constet* quid possit oriri, Quid nequeat, finita potestas denique cuique Quanam sit ratione atque alte terminus haerens, Nec totiens *possent* generatim saecla referre Naturam mores victum motusque parentum.“ Sine dubitatione bis *possint* rescribo. Praesens enim conj. in sumtione rei fictae ita ut exiguo discrimine ab imperfecto distet, posuit poëta I 809. IV 507. V. 195. 207. VI 568.

Restat locus Plauti, ubi minus accurate locutum esse poëtam negari non potest, Stich. 510 :

Vócem ego te ad me ad cénam, frater tuŭs ni *dixissét* mihi,
Te àput se cenatúrum esse hodie, quóm me ad se ad cenám vocat,

sed si seorsum h. l. spectamus, non moleste feremus aequabilitatem neglectam; nam veteres, si nescio quae impedimenta excusabant apud eum, quem honoris causa comiter ad cenam vocare debebant, credibile est non minus, quam hodie fieri solet, paullulum commotos fuisse animo et lingua balbutisse.

Et quoniam sermo in irregulares periodorum condicionalium formas incidit, monemus, ne eas quidem quae his oppositae in protasi praesens, in apodosi imperfectum exhibent, apud Plautem cum confidentia servandas esse. Atque Aul. III 5, 45.

Compéllarem ego illum, ní *metuam*, ne désinat : admittit versus, quod Acidalius reposuit, *compellem.*— Neque violenti mutatione rationi subjungitur Poen. V 4, 49, quem ita libri praebent :

Primúm, si id fieri *póssit*,
Ne indígna indignis *dí darent*, id ego évenire *véllem*:

ubi *posset* dedit Bothius. Contra idem temere Curc. 226 sqq.

Pavés, parasitus quía non rediit Cária;
Adférre argentum crédo : nam si nón *ferat*,
Torménto non retinéri *potuit* férreo,
Quin *réciperet* se huc éssum ad praesepém suam —

soloecismum tollere sibi visus est scribendo *recipiat*: quasi vero aequabilitas non jam turbata sit perfecti verbi potentialis indicativo, quod per significationem suam imperfecti conj. pendentis verbi vim habet. Admisit fortasse poëta insolentem temporum conjunctionem, quia temporis rationem respicere maluit, quam condicionis membrorum nexum. Consolans enim servus persuasum sibi esse ait, jam inter vias esse parasitum ferentem pecuniam : quam si non ferat, reversurum fuisse neque tam diu mansurum esse procul a patroni epulis.

In Lucretio autem et Catullo aliqua exempla sunt, quae Ellendtium Comment. de form. enunt. condic. l. l. Regim. 1827 p. 28, Etzlerum Jahni Annal. l. c. p. 247, Reisigium Schol. Gramm. p. 524 in ullo scriptore latino talia extare injuria negasse arguunt. Et Lucr. I 356 quidem „*Et nisi inania sint, qua possent corpora quaeque Transire, haud ulla valerent (sic codd. f i e r i Lachm.) ratione videres*“ propter hanc insolentiam non tentaverim cum Goebelo Observ. Lucret. Bonn. 1854, p. 5; sed si non sine causa aegre tulit inconcinne juncta „*haud ulla f i e r i ratione videres, q u a*“, ceteris immutatis vitiosae lectioni *valerent* substituimus *mentis* „*haud ulla mentis ratione videres*“; conferas, ne cum Lachmanno ad II 381 *mentis rationem* sine oppositione adhibitam condemnes, II 676. Contra alterum locum, qui eandem incongruentiam praebebat, I 1013 sqq., subtilis Goebelii disputatio removit. Sed in grammatica ratione non fuisse offendendum osten-

dit V 276 *„qui (aër) nisi contra Corpora retribuat rebus recrectque fluentis, Omnia jam resoluta forent et in aëra versa.“* Praesens h. l. eandem excusationem habet, quam Plaut. Curc. l. c. : nisi aër perpetuo in eo esset, ut corpora retribueret, jam diu in aëra versa essent. Quarto loco, ubi verbi potentialis indicativus locum imperfecti conj. in apodosi cepit, II 1033, ipse Goebel. Quaest. Lucr. crit. Salisb. 1857 p. 18 Lachmanni emendationem contra Bernaysium sollennem rationem restituentem defendit. Versus sunt : *„Omnia quae nunc si primum mortalibus extent* (*essent codd.*), *Ex improviso si sint objecta repente, Quid magis his rebus poterat mirabile dici?“* Apodosin mente supplendum censet Goebel. *„omnes dicant : nihil poterat mirabilius excogitari“* : sed *dici* scripsit Lucretius : vides quam ineptum sit supplementum. Imperfectum in protasi necessarium mihi videtur. Nam in duobus prioribus locis non in re ab ipso ficta praesens conj. posuit poëta, sed id quod ipsi verum et extra omnem dubitationem positum videtur ex eorum, qui negant, mente negavit : hoc vero loco id, quod fieri non possit, fingit. Servato igitur *essent*, in altero versu vel cum Bernaysio non inepte scribas *visu subjecta repente,* vel, ut motus animi siderum subito exsplendescentium aspectu effectus magis efferatur : *ex improviso simitu objecta repente : simitu* adverbium Plauto familiare, a Terentio spretum, invenitur apud Lucilium et in titulo a. CXXI a. C.

Catull. 6 in. jam Haasius contra Reisigium scite defendit librorum scripturam : *„Flavi, delicias tuas Catullo, Nei sint illepidae atque inelegantes, Velles dicere nec tacere posses.“* Sed 23, 22 *Quod tu si manibus teras fricesque, Non umquam digitum inquinare posses* : imperfectum tueri non ausim; nam *velles* et *posses* c. 6 per conjunctivum enuntiata sunt, quia ipsa cupiendi et valendi significatio a condicione suspenditur; dicit enim poëta eam esse naturam amici, ut, si quid habeat, quamobrem exultare

possit, pruritum gloriandi et molestiam tacite laudes suas concoquendi non ferat. In altero autem exemplo magis erat ex consuetudine scriptorum, ut aut *inquines* daret poëta aut *inquinare potes (poteris)* : conjunctivum non explices nisi ex eadem attractione, secundum quam in relativis enuntiatis dictum sententiamve indicantibus vel id ipsum verbum, quod dicendi sentiendive vim habet, in conjunctivum vertitur (v. Zumpt. § 551); sed praeteriti conjunctivo quae excusatio parari possit nullam video, itaque rescribo *possis*. Tertio loco accedit mirum fragmentum, quod in c. 55 horridis versibus et structura impedita cognatum inseruerunt. „*Non custos si fingar ille Cretum, Non si Pegaseo ferar volatu, Non Ladas ego pinnipesve Perseus, Non Rhesi niveae citaeque bigae. Adde huc plumipedes volatilesque, Ventorumque simul require cursum. Quos junctos, Cameri, mihi dicares, Defessus tamen omnibus medullis, Et multis langoribus peresus Essem te mihi, amice, quaeritando*" : sed ita illitus est hic pannus naevis, ut nunc melius sit manum de tabula : unum monemus : *dicares* sive id quod ejus loco restituendum est non nisi per anacoluthiam praesentia antecedentia continuare dici posse : quemadmodum ad diversam probabilitatem condicionum notandam in protasi modum variavit Liv. VI 40, 17 : „*Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit . . et consulatum . . . L. Sextius peteret : possetisne ferre Sextium haud pro dubio consulem esse?*"

Posterioris aetatis poëtae fieri potest ut hic illic metro consulentes severitatem grammaticam spreverint. Certe eae causae, quibus Dissen. Praef. Tibull. p. 182 poëtae sui discrepantias defendit, vix ulli sufficient.